

⟨GUALTERII BURLEI TRACTATUS PRIMUS⟩

In prima questione quarti *Sententiarum* dixi quedam que aliquibus falsa,
5 aliquibus dubia, quibusdam sophistica videbantur. Ideo ad requisitionem
sociorum et causa exercitii, ut veritas in medium plenius deducatur,
conclusiones visas dubias, quas in predicta questione posui, cum suis
rationibus in scriptis redigam, ut probabilitas aut improbabilitas illarum
conclusionum evidentiaque dictarum rationum simul appareat vel defectus.
10 Dixi quatuor conclusiones que videbantur quibusdam dubie vel false.

Prima: quod qualitas in virtute propria potest producere formam
substantialem, vel in virtute propria esse principium totale productivum
forme substantialis; verbi gratia calor ignis potest in virtute propria
producere ignem, et calor qui est in semine potest in virtute propria
15 producere animam sensitivam.

Secunda conclusio que etiam videtur dubia fuit quod in instanti
inductionis subite forme substantialis in materia non requiritur agens pro
tunc inducens formam.

Tertia conclusio: quod isti tres calores, quos Philosophus distinguit in
20 secundo *De generatione animalium*¹, scilicet calor celestis, elementaris et
animalis, sunt eiusdem speciei athome.

Quarta conclusio: quod forme contrarie, videlicet calor et frigus,
albedo et nigredo, sunt eiusdem speciei specialissime.

¹ Arist., *De gen. anim.*, II, 3, 736b34-37; A.A., 224, nn. 192, 193.

**⟨Prima conclusio: quod qualitas in virtute propria potest producere
formam substantialem⟩**

Prima ergo conclusio est quod qualitas in virtute propria potest
5 producere formam substantialem.

Circa istam conclusionem sic procedam: primo probabo eam per
quatuor vel tres rationes, que sufficient, quia funiculus triplex difficile
rumpitur¹; secundo per auctoritates et tertio movebo et solvam quedam
dubia.

10 Prima ratio est talis: illud quod per se quocumque alio activo
circumscripto potest in aliquam formam et sine eo aliud agens non potest in
eandem, illud in virtute propria potest in illam formam; calor per se
quocumque alio activo circumscripto potest in formam substantialem ignis, et
forma substantialis ignis non potest sine calore producere formam
15 substantialem ignis; ergo calor in virtute propria potest formam
substantialem ignis producere; et per consequens qualitas in virtute propria
potest producere formam substantialem. Maior huius rationis est de se nota,
et minorem probo quantum ad utramque sui partem. Primo, probo quod
calor per se circumscripto quocumque alio activo potest in formam
20 substantialem ignis; et hoc sic: illud quod potest in dispositionem
necessitantem ad formam substantialem ignis potest in formam
substantialem ignis; calor est huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia quod per
se potest in antecedens per se potest in consequens quod necessario sequitur
ad illud antecedens. Et minor probatur, quia calor per se in virtute propria
25 potest calefacere, et summus calor potest in virtute propria summe calefacere,
et calefacere necessitat ad formam substantialem ignis. Alia pars minoris

¹ *Eccl.*, 4, 12.

apparet: nam si ponatur forma substantialis ignis sine calore nullo modo produceret ignem, ut satis patet, quia nullo modo disponderet ad formam ignis.

Huic rationi respondet reverendus magister dominus Cancellarius
5 Londoniensis, quod calor in virtute propria non potest in aliquam
dispositionem necessitantem ad formam substantialem ignis, quia nulla
dispositio precedens introductionem forme ignis necessitat ad formam ignis.
Quod patet, quia quecumque dispositio inducitur ante inductionem forme
ignis, inducitur in aliquo instanti precedenti instans in quo inducitur forma
10 ignis; et inter illa duo instantia est tempus medium, in quo tempore medio
non est materia sub forma ignis; et ideo nulla dispositio precedens necessitat
ad formam ignis, ex quo illa inducta non statim inducitur forma ignis, immo
per tempus medium est materia sub privatione forme ignis.

Et si dicatur quod calor in virtute propria potest inducere calorem
15 impossibilem forme aque, et per consequens inducere aliam formam
substantialem; respondet iste doctor reverendus quod calor non potest in
calorem impossibilem forme aque, quia calor impossibilis forme aque
inducitur simul cum forma substantiali ignis; et ideo inducitur ab eodem a
quo inducitur forma substantialis ignis, per modum tamen sequele, quia
20 summus calor consequitur ad formam substantialem ignis.

Et si dicatur quod calor ignis in virtute propria potest in tantum
calorem, quia potest producere sibi simile; huic dicitur quod calor ignis non
potest in tantum calorem, quia tantus calor non inducitur nisi per modum
sequele ad inductionem forme ignis; ideo necessario producitur a forma
25 substantiali a qua producitur ignis.

Sed ista non sufficiunt, ut mihi videtur. Bene tamen verum est et
necessarium illud quod dicit magister meus quod non est aliquis calor

inductus ante inductionem forme ignis necessitans ad formam ignis, nec super hoc fundatur ratio; sed totum fundamentum istius rationis consistit in hoc quod calor in virtute propria potest in totam alterationem precedentem formam substantialem ignis. In hoc enim conveniunt quasi omnes doctores
5 quod calor in virtute propria potest calefacere, et respectu istius alterationis est agens principale, quamvis sit instrumentum respectu inductionis forme substantialis. Istud etiam apparet per Philosophum et expressius per Commentatorem primo *De generatione*¹ capitulo de agere et pati, qui dicunt quod si esset calor separatus calefaceret et ageret, sed non pateretur. Istud
10 etiam apparet per Commentatorem nono *Metaphisice*², qui dicit quod illi qui dicunt quod res non habent actiones proprias, habent dicere quod non habent essentias proprias, et qui recipiunt hoc non habent cerebrum habile naturaliter ad bonum. Apparet etiam secundum fidem catholicam: manifestum enim est quod hostia consecrata, si esset calida, calefaceret; et
15 certum est quod calor hostie non calefaceret in virtute forme substantialis. Ex isto supposito arguo sic: illud quod virtute propria quocumque alio activo circa eandem materiam circumscripto potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis, illud in virtute propria quocumque alio activo circumscripto potest inducere illam formam
20 substantialem; sed calor in virtute propria potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis; ergo etc.

Hic non est responsio nisi negando maiorem vel minorem; et si negetur maior, probo eam dupliciter vel tripliciter. Primo, quia si aliquid possit in totam alterationem precedentem et non in terminum, cum Deus possit
25 suspendere actionem cuiuslibet agentis circa illam materiam, tunc hoc posito

¹ Arist., *De gen.*, I, 10, 327b20-25; Averr., *In De gen.*, I, comm. 54.

² Averr., *In IX Metaph.*, comm. 7; A.A., 135, n. 236.

quod Deus suspendat actionem cuiuslibet alterius agentis, sequitur quod terminus alterationis non induceretur in materia, quia non ab alterante nec ab aliquo alio agente, quia actio cuiuslibet alterius agentis circa illam materiam suspenditur; et ita sequeretur quod calor alterans efficeret alterationem infinitam, quia non terminatam, quod est impossibile, tum quia alterationi repugnat infinitas sexto *Physicorum*¹ in fine, tum quia nulla forma materialis potest in motum infinitum. Secundo, probatur eadem maior sic: Commentator sexto *Physicorum*² commento 32 dicit quod transmutationes que sunt per se sunt duobus modis: nam quedam est cuius finis est de genere illius transmutationis, et quedam est cuius finis est de alio genere, ut transmutatio composita ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia. Ex isto arguo sic: illud quod potest in transmutationem compositam ex transmutatione in substantia et transmutatione in qualitatibus potest in inductionem forme substantialis, quia quod potest in totum potest in quamlibet partem³; sed illud quod potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis potest in totam transmutationem compositam ex transmutatione in substantia et ex transmutatione in qualitatibus; ergo illud quod potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis potest in inductionem forme substantialis. Maior huius rationis est plana. Minorem probo sic: illa transmutatio composita ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia est eadem transmutatio omnino cum tota alteratione precedente inductionem forme substantialis; ergo quod potest in unam potest in alteram. Consequentia patet; probatio antecedentis: nam quidquid est pars unius transmutationis est pars alterius. Similiter: quidquid

¹ Arist., *Phys.*, VI, 10, 241a27 segg.

² Averr., *In VI Phys.*, comm. 32.

³ Cf. Averr., *In I Phys.*, comm. 17; *A.A.*, 144, n. 45.

est terminus unius alterationis est terminus alterius, quia tota alteratio precedens inductionem forme substantialis non terminatur citra inductionem forme substantialis, ut patet cuilibet intelligenti; ergo sunt eadem mutatio, cum neutra includit aliquid per quod possit ab altera distingui.

5 Forte dicetur quod distinguuntur per hoc quod illud quod est terminus alterationis precedentis et non pars eius est pars totius alterationis composite, quia inductio subita forme substantialis est terminus alterationis precedentis et est pars transmutationis composite ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia. Contra: probo quod subita inductio non est
10 pars illius transmutationis quam Commentator vocat transmutationem compositam ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia, quia illa transmutatio composita est successiva et successivum est quandocumque aliqua pars eius est; ergo si illa inductio subita esset pars illius totius transmutationis, et illa inductio subita habet esse in fine illius
15 transmutationis composite, sequeretur quod illa transmutatio esset in sui ultimo, quod est contra rationem successivi; successivum enim nec est in sui principio nec in sui fine. Similiter, si illa composita haberet esse in sui ultimo, sequeretur quod tempus, quod est mensura adequata illius transmutationis, haberet esse in sui ultimo, et per consequens quelibet transmutatio mensurata
20 illo tempore haberet esse in sui ultimo, quod est impossibile.

 Si dicatur: qualiter ergo vocat Commentator illam transmutationem compositam ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia, ex quo transmutatio in substantia non est pars eius; respondeo et dico quod proprie loquendo de compositione non est aliqua transmutatio
25 composita ex transmutatione in qualitatibus et ex transmutatione in substantia, sicut non est aliquid compositum proprie ex linea et ex puncto:

probatum enim est in sexto *Physicorum*¹ quod indivisibile non est pars continui. Dico ergo quod Commentator loquitur de compositione vocando omne includens aliquid compositum ex eisdem.

5 Tertio, probatur maior rationis principalis sic per Commentatorem septimo *Metaphysice*² dicentem quod illud idem quod transmutat materiam inducit formam; sed causa effectiva totius alterationis precedentis transmutat et disponit materiam nec est aliud transmutans vel disponens; ergo illud inducit formam substantialem.

10 Si dicatur quod non oportet quod disponens materiam inducat formam, ut patet in inductione intellective; istud non valet, quia si intellectus sit de foris, ut Aristoteles videtur dicere secundo *De generatione animalium*³, tunc intellectus non est terminus alterationis precedentis inductionem intellective, sed aliqua forma substantialis educta de potentia materie per transmutationem, et illam inducit ipsum alterans et transmutans materiam.

15 Si vero dicatur ad rationem principalem negando minorem, dicendo quod calor in virtute propria non potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis. Contra: calor in virtute propria potest in aliquam partem alterationis precedentis, si ergo non possit in totam, est dare partem alterationis precedentis in quam calor virtute propria potest et aliam
20 in quam non potest virtute propria; et per consequens actio quam habet virtute propria terminatur ante ultimum terminum totius alterationis; ergo terminatur ante ultimum instans totius alterationis. Sed inter illud instans in quo terminatur actio caloris quam habet in virtute propria et ultimum instans totius alterationis est tempus medium in quo aqua alteratur et calefit, et in illo
25 tempore medio non agit calor in virtute propria, et cum prior forma in toto

¹ Arist., *Phys.*, VI, 1, 231a24-25; A.A., 153, n. 166.

² Averr., *In VII Metaph.*, comm. 26.

³ Arist., *De gen. anim.*, II, 3, 736b27-29.

illo tempore medio adhuc sit in materia, ut puta forma aque, sequitur quod calor ignis non posset in virtute propria in totum calorem compossibilem forme aque, quod videtur inconueniens.

Item, ponamus quod Deus faceret corpus de genere quantitatis
5 separatum a subiecto eque calidum vel calidius quam est ignis; hoc est possibile secundum fidem. Tunc arguo sic: ergo quandocumque aliqua sunt eque calida possunt eque calefacere, quia unumquodque est tale cum potest in operationem, et eque tale quod eque potest, et magis tale quod magis potest; sed ignis calidus potest tantum calefacere quod potest in totam
10 calefactionem precedentem inductionem forme substantialis; ergo corpus de genere quantitatis separatum a subiecto eque calidum vel calidius potest tantum calefacere vel magis; et per consequens potest in totam calefactionem precedentem inductionem forme substantialis. Sed si ponatur corpus de genere quantitatis cum summo calore, calor non calefaceret in virtute
15 quantitatis, cum quantitas non sit de principiis activis; ergo calor in virtute propria potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis.

Item, arguo tertio sic: calor est virtus activa, et secundum Philosophum primo *Celi et mundi*¹ perfectio virtutis active determinatur per maximum in
20 quod potest; quero ergo quod est illud maximum in quod potest calor ignis in virtute propria per quod determinatur perfectio virtutis sue: vel est forma substantialis ignis, vel calor simul inductus cum forma substantiali ignis, vel aliquis calor inductus citra inductionem forme substantialis, vel est tota alteratio precedens inductionem forme substantialis. Si detur quod est forma
25 substantialis, vel calor simul inductus cum forma substantiali, vel tota alteratio precedens, habetur propositum, quia quidquid potest in aliquod

¹ Arist., *De coelo*, I, 11, 281a7-12.

istorum trium potest in formam substantialem. Nec est dare quod illud ultimum per quod determinatur perfectio summi caloris ignei sit aliquis calor inductus ante inductionem forme substantialis, quia inter instans in quo calor ille maximus in quem posset calor ignis virtute propria et instans in quo
5 inducitur forma substantialis est tempus medium, in quo durat alteratio, et per consequens in quo calor maior inducitur. Sed certum est quod calor maximus potest in virtute propria in omnem calorem compossibilem forme aque, quia multum excedit omnem calorem compossibilem forme aque; ergo calor maximus potest in maiorem calorem calore dato, per quem dicitur quod
10 virtus caloris ignei determinatur, et sic esset dare maius maximo, quod est inconueniens. Ergo oportet dicere quod calor in virtute propria potest in totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis.

Secundo arguo ad principalem conclusionem sic: illud quod in quocumque subiecto positum semper producit aliquam formam, producit
15 illam in virtute propria; sed calor cum aliis accidentibus consequentibus formam substantialem in quocumque subiecto poneretur, semper produceret ignem; ergo calor in virtute propria potest producere ignem. Maior videtur esse manifesta, quia non quodlibet fit ex quolibet, sed determinatum ex determinato; forma igitur substantialis ignis non potest produci indifferenter
20 a qualibet forma substantiali materiali; et ideo, si calor vel quodcumque aliud accidens in quocumque esset positum produceret ignem, manifestum est quod hoc esset in virtute propria, cum non quodcumque subiectum materiale habet virtutem producendi ignem. Et sic patet maior. Et minor apparet: nam in quocumque subiecto poneretur calor in gradu in quo est conueniens igni
25 cum siccitate et aliis accidentibus conuenientibus igni, semper produceretur ignis. Quod patet, nam ex simili dispositione materie sequitur inductio similis forme; sed calor cum aliis accidentibus conuenientibus igni eodem modo

disponerent materiam, sicut modo disponunt, cum sunt in igne; ergo eandem vel consimilem formam inducerent in quocumque subiecto ponerentur.

Tertio, arguo ad principale sic: illud quod inducit aliquam formam non sicut instrumentum, inducit illam in virtute propria; sed calor inducit
5 formam substantialem ignis non sicut agens instrumentale; igitur inducit eam in virtute propria. Maior patet; probo minorem dupliciter: primo, quia instrumentum non a quocumque motum semper producit idem, sed motum ab uno producit unum et motum ab alio producit aliud; sed calor a quocumque moveatur et in quocumque subiecto reperiatur in gradu
10 convenienti igni semper producit ignem, quia semper producit calorem disponentem ad formam ignis; ergo etc. Item, si produceret ignem sicut agens instrumentale, tunc forma substantialis vel substantia in qua est calor esset agens principale, sed hoc est inconueniens; nam per Philosophum quarto *Metheorum*¹ idem non est causa contrariorum per se; sed substantia manente
15 eadem variatis qualitatibus producuntur contaria; ergo substantia non est per se causa principalis illorum contrariorum. Probatio minoris: nam aqua existens frigida producit frigiditatem, et illa eadem existens calida producit calorem, ergo substantia aque non est principalis causa.

Quarto, potest argui ad principale sic: illud quod in virtute propria
20 potest in corruptionem unius substantie, illud in virtute propria potest in generationem alterius substantie; sed calor in virtute propria potest corrumpere aquam, quia in virtute propria potest calor summus inducere calorem impossibilem forme aque, et per consequens potest in virtute propria corrumpere aquam; ergo in virtute propria potest aliam substantiam
25 producere.

¹ Arist., *Meteor.*, IV, 7, 384b3-4; A.A., 173, n. 20.

Dicitur hic quod maior est falsa, nam facilius est destruere quam
construere¹, unde ignis potest in virtute propria corrumpere lignum, et tamen
non potest in virtute propria producere lignum vel asinum. Contra: generatio
unius substantie est corruptio alterius, ut dicit Philosophus primo *De*
5 *generatione*²; unde generatio et corruptio sunt eadem mutatio; quod patet,
quia generatio non est nisi accessus ad formam producendam, et corruptio
est recessus a forma corrumpenda; nunc autem est eadem mutatio qua
receditur ab una forma et qua acceditur ad aliam formam, sicut eadem est
mutatio qua corpus recedit ab uno loco et accedit ad alium locum. Cum ergo
10 generatio unius forme et corruptio alterius forme sit eadem mutatio, sequitur
quod quidquid potest in corruptionem unius forme potest in generationem
alterius forme. Nec valent instantie adducte in contrarium, quia sicut ignis
potest in corruptionem ligni, ita potest in generationem substantie in qua
corrumpitur lignum, ut in generationem ignis vel fumi generati ex lignis.

15 Hec dicta sunt de generatione formarum elementarium.

Secundo, dico quod calor in semine vel aliqua virtus accidentalis in
semine vel in continente immediate semen potest in productionem anime
sensitive, nec oportet alium datorem formarum ponere neque celum neque
intelligentiam neque Deum. Mirabile enim esset si nihil citra Deum posset
20 producere animam asini in materia. Istud probatur et potest poni alia
conclusio partialis, scilicet quod forma accidentalis in semine potest
producere animam sensitivam. Et probatur dupliciter. Primo sic: corrupto
generante a quo semen fuit decisum producitur forma sensitiva; quero tunc a
quo producatur effective: non ab illo a quo semen fuit decisum, quia ille non
25 est; nec a forma substantiali seminis, quia illa est imperfectior anima

¹ Arist., *An. Pr.*, I, 26, 43a15.

² Arist., *De gen.*, I, 3, 318a23-25; *A.A.*, 167, n. 6.

sensitiva, et per communem opinionem causa non est imperfectior suo effectu; ergo si inducatur ab aliquo existente in semine vel immediate continente semen, oportet quod hoc sit a forma accidentali.

Et si dicatur quod forma seminis vel calor in semine producit formam sensitivam in virtute generantis et non in virtute propria; illud non valet, quia generans non est, et absurdum est dicere quod producit in virtute non entis. Similiter, ista virtus generantis aut est aut non est; si non est, non est principale agens; et si est, vel est substantia vel accidens; non substantia, quia substantia seminis est imperfectior forma sensitiva. Nec est dicere quod forma sensitiva producat a Deo, quia hoc est ponere datores formarum, et etiam non videtur probabile quod nihil citra Deum possit producere muscam. Nec est dicere quod intelligentia producit formam sensitivam, quia secundum Augustinum tertio *De trinitate*¹ materia celi non obedit intelligentie nisi quantum ad motum localem. Et hoc vult quidam articulus Episcopi parisiensis². Et etiam intelligentia non producit aliquam formam materialem nisi mediante celo, et ideo, si intelligentia produceret animam sensitivam, sequitur quod celum produceret eam. Sed quod nec celum nec intelligentia mediante celo, nec aggregatum ex celo et intelligentia producat formam sensitivam probo: nam agens corporeum vel mediante corpore distans non agit in materiam remotam nisi agendo in totum medium inter agens et materiam in qua agit, ut patet ex secundo *De anima*³ et ex septimo *Physicorum*⁴; in omni enim motu movens et motum sunt simul, ita quod inter illa non est medium, et hoc loquendo de movente proximo. Si ergo celum vel intelligentia mediante celo vel etiam totum aggregatum ex intelligentia et orbe ageret in istam materiam, oporteret quod medium et corpus proximum

¹ August., *De trinitate*, III, 4, 9.

² Cf. HISSETTE 1977, 136, n. 79.

³ Arist., *De an.*, II, 7, 419a18-22.

⁴ Arist. *Phys.*, VII, 2, 243a3-6; A.A., 155, n. 185.

huic materie reciperet virtutem a celo, per quam ageret in hanc materiam inducendo sensitivam. Tunc arguo sic: agens corporeum immediatum retenta virtute quam habet et recipit ab agente distante cessante causalitate agentis remoti seu distantis, agens proximum idem ageret quod ageret stante
5 causalitate agentis remoti et distantis, sicut patet: nam sol calefacit aerem per suum radium vel per lumen; et ideo stante radio in aere, per impossibile remota causalitate solis, adhuc calefieret aer a radio, sicut modo ignis calefaceret aquam mediante vase; et ideo amoto igne et remanente continue dispositione simili in vase qualis fieret ab igne, si ignis esset ibi, eodem modo
10 vas calefaceret sicut modo ignis cum vase. Cum ergo celum vel intelligentia vel totum aggregatum non causet in semine nec in continente semen nisi dispositiones accidentales vel formas imperfectiores forma sensitiva, sequitur quod remota caliditate celi circa hanc materiam, ut circa materiam seminis, forme accidentales vel substantiales imperfectiores forma sensitiva possunt
15 producere sensitivam.

Secundo, probo eandem conclusionem sic: si dispositiones que sunt in semine essent in alio subiecto, quodcumque esset illud, produceretur forma sensitiva in materia sicut modo producitur. Et si calor, humor et huiusmodi dispositiones essent similes omnino in aqua sicut in spermate, ita
20 produceretur sensitiva ex aqua sicut modo producitur ex semine. Tunc arguo sic: illa que in quocumque reperiuntur producunt sensitivam, illa in virtute propria producunt sensitivam; dispositiones accidentales que sunt in semine sunt huiusmodi; ergo etc. Minor huius rationis confirmatur per experimentum: manifestum est quod ovum ex se non producit pullum, sed
25 per calorem extrinsecum iuvantem et excitantem calorem intrinsecum; modo pullus produci potest a calore proportionato extrinseco in quocumque subiecto reperiatur, nam pullus anseris generatur ex ovo per calorem galline

sicut per calorem anseris; ergo forma substantialis pulli non est a forma
substantiali, cum possit fieri a calore proportionato cuiuscumque substantie
materialis. Manifestum enim est quod, cum forma anseris producitur a
gallina sedente super ovum, quod illa forma anseris non est effective a forma
5 substantiali galline.

Adhuc probari potest conclusio principalis, scilicet quod forma
accidentalis potest in virtute propria producere formam substantialem, per
auctoritates. Primo per Philosophum, qui in libro *De sensu et sensato*¹ dicit
quod ignis non agit in quantum ignis sed in quantum calidus; si tamen forma
10 substantialis ignis esset principale agens in generatione ignis, sequeretur
quod ignis magis ageret in quantum ignis quam in quantum calidus, quia
magis dependet effectus a causa principali quam a causa instrumentali.

Item, Commentator 12^o *Metaphysice*² commento 19 dicit quod «virtutes
que sunt in seminibus, que faciunt animata, non sunt animate in actu sed in
15 potentia, sicut domus que est in anima edificatoris est domus in potentia non
in actu»; et parum post dicit sic et semina «non faciunt hoc, scilicet animata,
in actu nisi per calorem qui est in eis»; ergo calor qui est in semine est
principale productivum anime sensitive.

Item, eodem commento dicit Commentator sic: «ignis enim, cum fecerit
20 alium ignem sibi similem ex corpore gravi, tunc forma substantialis que est in
eo, verbi gratia levitas, non agit in isto corpore gravi quod fecit ignem aliam
levitatem similem», cum aperte fuit dictum in libro *Peryogeneos*³ quod nulla
est in igne virtus agens nisi calor. Et quamvis Commentator dicat istud
recitando opinionem ponentium datores formarum, tamen huic dicto non
25 contradicit, scilicet quod in igne nulla est virtus agens nisi calor.

¹ Arist., *De sensu*, 4, 441b11-15; A.A., 197, n. 17.

² Averr., *In XII Metaph.*, comm. 18.

³ Arist., *De gen.*, I, 7, 324b17-18.

Item, septimo *Metaphysice*¹ commento 31 dicit Commentator sic: «apparet enim quod elementa neque patiantur neque agant nisi per qualitates non per formas substantiales, et universaliter apparet quod non sunt hic potentie agentes nisi quatuor qualitates, et iste non sunt forme substantiales».

5 Item postea in eodem commento dicit sic: «quod forme substantiales materiales non sunt active neque passive essentialiter, et active et passive sunt prime qualitates».

⟨Obiectiones⟩

Sed super hiis sunt questiones non pauce. Prima, quia tota philosophia
10 videtur clamare contraria predictorum; dicit enim Philosophus septimo
*Metaphysice*² quod substantia non fit nisi a substantia in actu, e contrario in
qualitate et quantitate. Item, eodem septimo³ dicit quod omne quod
generatur generatur a simili, et hoc est maxime verum in generatione
simplici, scilicet in generatione substantie, quod non esset si sola qualitas
15 esset principium productivum substantie. Item, in secundo *De anima*⁴ dicit
quod unumquodque tunc est perfectum, cum potest generare sibi simile in
specie; cum ergo substantia sit perfectior accidente, sequitur quod substantia
potest generare sibi simile. Item, in eodem secundo *De anima*⁵ dicit
Philosophus quod calor est instrumentum anime; sed certum est quod
20 instrumentum non attingit effectum principalis agentis in virtute propria,
nam tunc non esset instrumentum sed agens principale; ergo calor non potest
in virtute propria producere formam substantialem.

Item, per rationes. Arguitur primo, quod agens totale debet continere effectum virtualiter, sed accidens non continet substantiam virtualiter, quia

¹ Averr., *In VII Metaph.*, comm. 31 (ARISTOTELES 1560, VIII, 219A).

² Arist., *Metaph.*, VII, 9, 1034a30.

³ Arist., *Metaph.*, VII, 8, 1033b29.

⁴ Arist., *De anima*, II, 4, 415a26-b1.

⁵ Arist., *De anima*, II, 4, 416b29-30.

imperfectius non continet virtualiter perfectius; ergo etc. Confirmatur per rationem Avicenne¹ sic: si minus perfectum produceret magis perfectum, sequeretur quod istud in quo effectus excedit causam producentem non esset productum, ex quo effectus per illud excedit causam.

5 Item, arguitur secundo sic: nihil agit ultra sui speciem; sed substantia est ultra speciem accidentis; ergo accidens non agit nec producit substantiam.

Item, tertio sic: si esset ita, omnis generatio substantie esset equivoca, quia tunc est generatio equivoca quando principium productivum differt specie a termino producto; sed sic esset in omni generatione substantie, quia
10 principium productivum, quod est accidens, differt genere a termino producto, scilicet a substantia; et que differunt genere differunt specie; ergo etc. Confirmatur, quia si accidens producat substantiam: aut ergo productione univoca aut equivoca; non univoca, cum producens et productum differunt specie; nec equivoca, quia in productione equivoca
15 producens est nobilior et perfectior producto; et accidens non est perfectior quam substantia; ergo etc.

Item, quarto sic: si imperfectius secundum genus et secundum speciem posset producere perfectius, tunc ex caliditate et motu non posset concludi ordo in entibus nec posset aliquis probare primum esse perfectissimum ex
20 sua causalitate; unde ex hoc quod aliquid producit effectum perfectiorem non posset concludi esse perfectius, quoniam per te minus perfectum potest in virtute propria producere magis perfectum; nec posset probari per aliquam rationem quod calor non potest attingere intellectivam, si imperfectius possit producere perfectius.

25 Item, si solus calor sit principium productivum forme ignis, cum sit dare aquam calidiorem flamma, nam magna aqua fervens est calidior parva

¹ Cf. Avicenna, *Met.*, VI, 3 (AVICENNA 2002, 599).

flamma, sequeretur quod aqua fervens posset producere ignem; quod non videmus.

Item, illud quod in agendo non attingit materiam primam non potest in virtute propria producere formam substantialem, que est actus materie prime; sed calor in agendo non attingit materiam primam, quia ex quo est
5 accidens sua actio recipitur in substantia composita; ergo etc.

Item, nullum agens presupponens subiectum in agendo ipsum destruit; sed calor in agendo presupponit substantiam compositam in qua sua actio recipi debet; ergo non corrumpit substantiam compositam; corrumpet
10 autem eam si posset formam substantialem impossibilem producere.

Item, ubicumque est ordo accidentalis in agentibus oportet dare extra illum ordinem aliquid quod sit causa essentialis illius totius multitudinis; sed inter istum calorem generantem et illum calorem genitum est ordo accidentalis; ergo extra illum ordinem est dare aliquid quod est causa
15 essentialis totius multitudinis. Cum ergo in causis essentialibus non sit procedere in infinitum, erit dare primam causam secundum speciem vel primam speciem effectivam in genere accidentis, et inter individua illius speciei est ordo accidentalis; ergo extra illum ordinem est dare causam effectivam totius multitudinis in illa specie; sed illud non est accidens, quia
20 non est accidens prius quod sit efficiens accidentis dati; ergo erit substantia; ergo substantia erit immediata causa effectiva accidentium; quod tu negas.

Item, subiectum respectu sue proprie passionis est causa effectiva; et inter subiectum et propriam passionem non est medium; ergo subiectum est immediata causa effectiva sue proprie passionis; et per consequens substantia
25 est immediatum principium productivum. Quod autem subiectum respectu sue proprie passionis se habeat in genere cause efficientis apparet, quia non se habet solum in genere cause materialis, quoniam si sic, cum omnis potentia

materie passiva sit potentia contradictionis, ut patet ex nono *Metaphysice*¹, sequitur quod subiectum posset derelinquere suam propriam passionem, quod est inconveniens; ergo est in alio genere. Non in genere cause formalis, quia forma est principium intrinsecum illius cuius est et est de quidditate sua; 5 sed subiectum non est intrinsecum passioni, nec est causa finalis, quia finis est posterior in esse eo quod est ad finem; sed subiectum est prius in esse sua passione; ergo etc. Relinquitur ergo quod subiectum est causa effectiva proprie passionis.

Item, potest aliter argui: in generatione mixti ex elementis oportet dare 10 aliquod principium effectivum forme mixti; sed qualitas elementaris non potest inducere formam mixti; ergo non sola qualitas est principium productivum substantie.

Item, arguo sic: forme eiusdem speciei active possunt in eundem effectum secundum speciem; sed calor elementaris et calor animalis sunt 15 eiusdem speciei; si ergo calor ignis posset producere formam ignis substantialem, sequitur quod calor animalis posset producere formam substantialem ignis.

⟨**Responsiones ad obiectiones**⟩

Ad primum istorum dico premittendo duplicem distinctionem. Prima 20 est quod productivum vel generativum est duplex, scilicet quod et quo: producens vel efficiens quod est illud quod includit in se principium quo; verbi gratia calidum est productivum quod, et calor est principium productivum quo. Secunda distinctio est ista: quod tam productivum quod quam productivum quo est duplex, scilicet productivum determinativum seu 25 determinans, et productivum transmutativum seu transmutans. Illud enim quod determinat principium transmutativum ad agendum vel ad sic vel sic

¹ Arist., *Metaph.*, IX, 8, 1050b8 segg.

agendum dicitur principium effectivum, ut in voluntariis consiliator dicitur principium effectivum, quia determinat ipsum transmutans ad agendum vel ad sic agendum, ut patet ex secundo *Physicorum*¹ et quinto *Metaphysice*² et in naturalibus applicans activa passivis dicitur efficiens, sicut applicans ignem domui dicitur comburere domum, quia determinat ignem ad transmutandum domum applicando ignem domui; tamen sic applicans non transmutat domum, sed solum determinat ipsum transmutans ad transmutandum applicando ipsum transmutabili. Dico igitur quod productivum quod transmutans in naturalibus est totum aggregatum ex substantia et qualitate activa; verbi gratia ignis calidus seu aggregatum ex igne et calore est productivum quod transmutans; substantia vero composita, que est subiectum qualitatis active, est productivum quod determinans, quia determinat qualitatem activam ad certum gradum vel ad certam latitudinem graduum. Nam calor in alio gradu consequitur ignem, et in alio gradu consequitur aerem, et in alio gradu consequitur mixtum inanimatum, et in alio gradu mixtum animatum, et in alio gradu consequitur aliud et aliud animatum secundum speciem. Et ita substantia composita determinat et mensurat qualitates activas et passivas, et sic est efficiens quod determinans, non autem transmutans nec virtutem applicans. Eodem modo distinguo de productivo quo, quoniam tale est duplex, scilicet quo determinans et quo transmutans; forma substantialis est principium productivum quo determinans, quia determinat qualitatem ad certum gradum vel ad certam latitudinem graduum; qualitas vero activa ut calor est principium productivum quo transmutans.

¹ Arist., *Phys.*, II, 1, 192b26-30.

² Arist., *Metaph.*, V, 2, 1013b22-23.

Dico ergo ad auctoritates quod sola qualitas in generatione substantie est principium productivum quo transmutans, forma tamen substantialis est principium quo determinans. Dico etiam quod totum aggregatum ex substantia composita et qualitate activa est productivum transmutans, tamen
5 substantia composita est productivum quod determinans.

Ad primam ergo auctoritatem dico quod substantia non fit nisi a substantia in actu tamquam a productivo determinante, sed non fit a substantia tamquam a productivo transmutante; sed sic sola qualitas vel aggregatum ex substantia et qualitate est productivum transmutans.

10 Ad secundam auctoritatem: quod omne quod fit, fit a suo simili tamquam a determinante vel transmutante, non tamen oportet quod fiat a suo simili tamquam a transmutante.

Ad tertiam auctoritatem concedo quod substantia potest generare sibi simile determinando principium transmutativum ad certum gradum et sic ad
15 agendum vel ad sic agendum, tamen substantia numquam producit sibi simile tamquam productivum transmutativum.

Ad quartam auctoritatem, cum dicitur quod calor est instrumentum anime, dicendum quod principium transmutativum dicitur instrumentum respectu principii determinantis, et principium determinans dicitur
20 principale agens, non quia virtutem suam applicet ad opus aliquid transmutando, sed quia mensurat principium transmutativum in ordinem ad operationem, quomodo ars fabrilis dicitur principale agens in factione cultelli, et calor quem ars fabri mensurat ad suam operationem dicitur eius instrumentum; sed certum est quod ars fabri non transmutat materiam, sed
25 solum mensurat calorem secundum quod competit sue actioni et effectui quem intendit producere. Similiter: consiliator et precipiens executionem alicuius, ut executionem suspensionis vel decapitationis, dicitur causa

efficiens principalis, et minister exsequens preceptum domini sui dicitur
causa instrumentalis, et tamen certum est quod consilians et precipiens non
applicat virtutem ad opus nec transmutat materiam, sed determinat
exsequens ad exsequendum et transmutandum; sed solum ille qui exsequitur
5 consilium vel preceptum transmutat materiam et applicat virtutem ad opus.
Sic ergo dico quod calor est instrumentum anime, et tamen est principale et
totale transmutans materiam; dicitur tamen instrumentum anime, quia
mensuratur et determinatur ab anima ad certam operationem exercendam. Et
sic patet ad auctoritates; dico tamen quod si esset calor separatus in summo
10 gradu, esset agens totale et principale in productione forme substantialis.

Ad rationes que sunt contra istam opinionem.

Ad primam dico dupliciter. Uno modo quod continere aliquid virtualiter est
dupliciter, vel secundum gradum perfectionis et nobilitatis, vel secundum
gradum causalitatis seu activitatis; et iste continentie sunt diverse quoniam
15 species universi se habent ut numeri, ita quod sicut numerus maior continet
minorem, ita species perfectior continet imperfectiorem secundum gradum
nobilitatis et perfectionis, et tamen certum est quod non omnis species
perfectior continet imperfectiorem secundum gradum activitatis et
causalitatis. Nam intellectiva superior continet inferiorem secundum gradum
20 perfectionis, non tamen secundum gradum activitatis, quia intellectiva
superior non potest producere intellectivam inferiorem. Dico tunc ad formam
rationis quod causa efficiens totalis respectu alicuius effectus debet continere
illum effectum virtualiter secundum gradum activitatis, non tamen oportet
quod secundum gradum perfectionis et nobilitatis ipsum contineat; et ita
25 concedo quod calor continet formam substantialem ignis secundum gradum
activitatis, quia continet ipsum in sua virtute activa; non tamen continet
ipsum secundum gradum perfectionis et nobilitatis, nec hoc oportet.

Aliter potest responderi ad istud argumentum quod aliquid potest
produci ab aliquo agente dupliciter: vel primo, principaliter et immediate; vel
per modum sequele. Dico tunc quod causa effectiva totalis continet effectum
primum et principalem virtualiter, effectum tamen, qui est sequela, non
5 continet virtualiter vel non oportet quod talem effectum contineat virtualiter.
Nunc autem primus et principalis et immediatus effectus caloris est alteratio,
effectus autem mediatu et per modum sequele est forma substantialis; et
ideo oportet quod calor contineat virtualiter totam alterationem precedentem
inductionem forme substantialis, sed non oportet quod contineat virtualiter
10 formam substantialem.

Ad confirmationem, que est ratio Avicenne¹, quando dicitur quod si
effectus excederet causam, illud in quo effectus excederet causam non esset
ab aliquo; dico quod non sequitur. Immo dico quod illud in quo effectus
excedit causam est ab illa causa, nec est inconveniens quod perfectius in
15 entitate sit ab imperfectiori.

Ad secundam rationem, quando dicitur: nihil agit ultra sui speciem²;
dico quod ista propositio est magistralis et est multum famosa. Et ideo,
quamvis nihil probabilitatis contineat, tamen propter famam suam dico
distinguendo, quoniam hec propositio duplicem intellectum potest habere:
20 unum quod nihil agit ultra perfectionem sue speciei, hoc est aliquid
perfectius sua specie; et in isto intellectu nego istam propositionem. Alio
modo potest intelligi quod nihil agit ultra sui speciem, hoc est ultra
activitatem sue speciei, id est nihil agit aliquid quod non continetur in sua
virtute activa; et sic concedo illam propositionem famosam et dico quod
25 forma substantialis non est ultra activitatem forme accidentalis.

¹ Avicenna, *Met.*, VI, 3 (AVICENNA 2002, 599).

² Cf. Averr., *In De anima*, III, comm. 18; A.A., 104, n. 251.

Sed dicetur: activitas forme non est aliud quam sua entitas et sua perfectio, ergo quod continet aliquid secundum activitatem, continet ipsum secundum entitatem et perfectionem. Dicendum quod, quamvis hec activitas et hec entitas seu hec perfectio sint eadem, tamen activitas in communi et
5 entitas seu perfectio in communi non sunt eadem; multa enim sunt entia que non sunt activa, nec oportet quod illud quod est magis activum sit magis ens nec e converso. Exemplum: hec nigredo et hoc ens demonstrata nigredine sunt omnino eadem; non tamen sunt omnino idem nigredo in communi et entitas in communi; non enim oportet quod illud quod est magis nigrum sit
10 magis ens, nec e converso. Nunc autem dico quod calor excedit formam substantialem in activitate in communi, vel forte non sunt comparabiles in activitate; sed ex hoc non sequitur quod calor excedat formam substantialem in entitate in communi vel in perfectione in communi. Unde secundum idem numero non sunt aliqua comparabilia neque secundum magis et minus
15 neque secundum equale; et ideo non oportet quod si hec activitas et hec entitas sint eadem, quod propter hoc illud quod est magis activum sit magis ens nec e converso, cum non fiat comparatio secundum hanc activitatem vel hanc entitatem, sed secundum activitatem in communi et entitatem in communi.

20 Ad tertiam rationem, quando dicitur quod omnis generatio substantie est equivoca; dico quod non sequitur, quia tunc est generatio equivoca quando generans vel producens quod differt specie a toto generato. Modo dico quod substantia composita est generans vel producens quod in generatione alterius substantie, non tamen est generans transmutans, sed est
25 generans determinans principium transmutativum ad certum gradum. Similiter productivum quod determinans est eiusdem speciei cum termino

producto in generatione substantie, et hoc sufficit ad hoc quod generatio sit univoca.

Ad confirmationem, quando dicitur quod si accidens producat substantiam, aut ergo generatione univoca aut equivocata; dico quod, si
5 poneretur calor separatus vel calor cum quantitate corporea separata a subiecto produceret formam substantialem generatione equivocata; nec oportet universaliter quod in generatione equivocata generans sit nobilior generato, sed sufficit quod generans et generatum differant specie. Sed utrum generans sit nobilior generato vel ignobilior, hoc accidit.

10 Ad quartam, quando dicitur quod si ignobilior posset producere nobilior, tunc ex activitate non posset probari ordo in entibus; dico quod per activitatem que est per transmutationem materie et per abiectioem contrarii non potest probari nobilitas vel ordo in entibus; non enim illud quod est magis activum per transmutationem est nobilior, ut patet. Si autem per aliam
15 activitatem possit probari ordo vel nobilitas, nihil ad propositum, quia modo loquimur solum de actione que est per transmutationem materie. Et dico quod ordo et nobilitas in entibus magis potest probari ex parte causalitatis finis quam ex parte causalitatis efficientis.

Et cum dicitur quod secundum illud non posset probari quod calor non
20 possit attingere intellectivam; dico quod si forma intellectiva sit educta de potentia materie per transmutationem materie, tunc non potest per aliquam rationem probari quod calor non potest producere intellectivam; si tamen intellectiva sit ab agente extrinseco non transmutante materiam, tunc bene potest probari quod calor non potest in formam intellectivam, quia calor nihil
25 producit nisi transmutando materiam.

Ad quintam rationem, cum dicitur quod si solus calor esset principium productivum, tunc aqua fervens calidior flamma¹ posset generare ignem sicut flamma potest; dicendum secundum quod dicit Aristoteles secundo *De partibus animalium*² capitulo quarto de magnis, quod si aliqua forma habeat
5 plures operationes et de talibus duabus formis eiusdem speciei fiat, quero de comparatione earum ad invicem secundum magis et minus, aut secundum equale. Non est respondendum simpliciter, sed distinguendo in ordine et comparatione ad opera, verbi gratia calidum habet multas operationes, nam calefacit contactum, hoc est corpus cotinguum; calidum etiam imprimit
10 sensui in tangendo, ita quod immutat tactum; adhuc aliquod opus est calidi liquefacere liquefacibile, aliud est eius opus urere ustibile, aliud est opus eius resistere contrario, ita quod non infrigidetur vel quod de difficili infrigidetur; et sic de multis aliis operibus calidi. Si ergo queratur de duobus calidis quid illorum est calidius reliquo, respondendum est quod unum est calidius
15 quantum ad tale opus, et aliud forte est calidius quantum ad aliud opus. Dico tunc ad formam, quando dicitur quod aqua fervens potest esse calidior flamma, dico quod verum est quantum ad imprimendum sensui in tangendo vel quantum ad calefaciendum contactum; sed quantum ad comburendum et urendum flamma est calidior aqua fervente; et ista operatio que est urere vel
20 comburere est operatio per quam calidum generat ignem. Et ideo, quamvis aqua fervens sit calidior flamma quantum ad immutandum sensum vel quantum ad calefaciendum, quia tamen flamma est calidior quantum ad comburendum vel urendum, ideo flamma potest generare et aqua fervens non potest generare ignem; ergo etc.

¹ Cf. Arist., *De partibus anim.*, II, 2, 648b26.

² Arist., *De partibus anim.*, II, 3, 650a3-9.

Sed dubium est an isti calores qui sunt in aqua fervente et in flamma sint eiusdem speciei vel non; videtur enim quod differunt specie, quia habent effectus contrarios: illud enim quod flamma coagulat, aqua fervens dissolvit. Dico quod sunt eiusdem speciei, quod patet dupliciter: primo, quia caliditas
5 que est in aqua fervente est effective vel esse posset a calore flamme, et talis productio est univoca; igitur principium producendi et terminus productus essent eiusdem speciei. Item, calor qui est in aqua fervente contrariatur frigiditati aque, quia expellit illam frigiditatem formaliter que fuit in eadem aqua, et effective expellit frigiditatem que est in alia aqua; ergo contrariatur
10 frigiditati aque. Et certum est quod calor ignis vel flamme contrariatur frigiditati aque, quia aliter non expelleret eam; modo que contrariantur eidem secundum speciem contrarietate que est extremi ad extremum sunt eiusdem speciei; ergo calor flamme et calor aque ferventis sunt eiusdem speciei.

Et cum dicitur: habent effectus contrarios; dico quod ex hoc non
15 sequitur quod differant specie, sed solum quod habent operationes contrarias. Nunc autem dico quod forme eiusdem speciei possunt habere operationes contrarias; qualitates enim active determinantur quodam modo in operando a qualitatibus passivis quibus coniunguntur in esse, et ideo habent diversas operationes secundum quod sunt cum aliis et aliis
20 qualitatibus passivis. Aliter enim agit calor secundum quod in esse coniungitur cum humido, et aliter agit secundum quod in esse coniungitur cum sicco.

Ad sextam que fuit subtilis doctoris, quando dicitur quod calor in agendo non attingit materiam primam, et per consequens non potest
25 producere formam substantialem, que est actus materie prime; huic dico dupliciter: uno modo negando antecedens, alio modo negando consequentiam. Antecedens potest probabiliter negari, quia agens in

substantiam compositam agit in materiam primam; actio enim que recipitur in substantia composita recipitur in qualibet parte substantie composite. Non enim est imaginandum quod forma substantialis mediet inter materiam primam et accidentia recepta in substantia composita, ita quod forma
5 impedit receptionem horum accidentium in materia prima, quomodo camisia mediat inter tunicam et carnem impediens ne tunica tangat carnem. Immo dico quod omne accidens extensum receptum in substantia composita attingit materiam primam, quia est in eodem loco primo cum materia prima; et illa tangunt se secundum tot que sunt in eodem loco primo. Si enim
10 materia extensa esset in uno situ et forma in alio et accidentia ibi recepta essent in alio situ, sequeretur quod materia esset separata a forma secundum locum et quod accidens esset separatum a subiecto secundum locum. Nec valet: accidens est in substantia composita sicut in subiecto; ergo non attingit materiam primam; immo oppositum sequitur planissime.

15 Aliter potest dici negando consequentiam: nam quando aliud est subiectum transmutationis et aliud terminus transmutationis, non oportet quod agens attingens per actionem suam totam transmutationem attingat per actionem suam terminum transmutationis. Et ideo dico quod aliquid potest per actionem suam inducere formam substantialem in materia, quamvis actio
20 sua non attingat materiam, quia in inductione forme substantialis non manet actio transmutantis, sed tunc terminata est.

Ad septimam rationem que fuit istius doctoris, quando dicitur quod nullum agens presupponens subiectum in agendo destruit ipsum; huic dico negando istam propositionem: similiter ubi est actio per abiectionem
25 contrarii; nam ibi semper agens aliquid abicit a substantia subiecti in quod agit. Et quando dicitur quod generans destruit materiam primam; dico quod subiectum recipiens actionem generantis non est materia prima sed

substantia composita; materia enim prima non recipit aliquid nisi in fine alterationis et actionis generantis, sed pro tunc non manet actio generantis, sed solum actum esse sive forma substantialis tunc primo inducta in materia. Et illud videbitur in probatione secunde conclusionis principalis.

5 Ad octavam rationem, quando dicitur quod ubicumque est ordo accidentalis in agentibus, ibi oportet dare extra illum ordinem aliquid quod est causa essentialis illius totius multitudinis; illud concedo, et dico quod est dare primam speciem activam de genere accidentis. Et illa est lumen vel aliqua qualitas corporis celestis; et secundum philosophos illa est eterna et
10 non est producta; secundum vero theologos illa qualitas est a Deo effective sicut et celum. Et concedo bene quod Deus est principium effectivum, nec oportet dare aliam substantiam preter Deum que sit effectiva illius primi accidentis.

Ad nonam rationem, quando dicitur quod subiectum habet rationem
15 cause efficientis respectu proprie passionis; illud interimo. Immo dico quod est solum causa materialis sue passionis, et passio est effective ab eodem a quo est subiectum; quod patet, quia, si subiectum efficeret suam passionem, aut ergo quando subiectum est aut quando non est. Non est dare quod quando subiectum non est, quia quod non est nihil efficit; nec quando
20 subiectum est, quia quando subiectum est, tunc passio est; sed illud quod est res permanens quando factum est non fit: frustra enim est agere acta; ergo subiectum numquam efficit suam propriam passionem.

Et quando dicitur quod si subiectum sit solum causa materialis respectu sue proprie passionis, tunc potest derelinquere propriam passionem; dico
25 quod non sequitur, quia manifestum est quod materia prima habet proprias passiones, respectu quarum est in potentia passiva, tantum quantum materia

prima non est principium effectivum respectu alicuius, et tamen materia prima non potest derelinquere suas proprias passiones.

Et quando dicitur quod omnis potentia passiva est potentia contradictionis; dico quod omnis potentia passiva recipiens aliquam formam de novo per transmutationem sui est potentia contradictionis respectu illius. Et sic intelligit Philosophus¹. Modo subiectum non recipit suam passionem de novo per transmutationem sui, quia sic subiectum esset aliquando sine sua propria passione; quod enim transmutatur ad aliud, dum transmutatur, non habet illud ad quod transmutatur.

Ad decimam rationem, quando dicitur quod in generatione mixti ex elementis non inducitur forma substantialis mixti ab aliqua qualitate elementi; dico quod verum est: non ab aliqua qualitate alicuius unius elementi, sed a qualitatibus omnium elementorum. Unde, quamvis una qualitas elementaris non posset in formam mixti, qualitates tamen quatuor elementorum possunt in formam mixti.

Sed contra: in inductione forme mixti non manet aliqua qualitas alicuius elementorum ex quibus generatur mixtum, quia in instanti inductionis subite forme substantialis corrupta sunt omnia quatuor elementa, et per consequens omnes qualitates eorum; sed generatio in actu requirit generans in actu; ergo in illo instanti oportet quod sit aliquid generans in actu, et nulla qualitas elementaris nec aliquae qualitates elementares tunc sunt in actu; ergo oportet ponere aliud generans. Dicendum quod in inductione subita forme substantialis non est aliquid fieri, sed solum factum esse; et ideo non oportet quod tunc sit generans in actu. Et hoc videbitur in probatione secunde conclusionis principalis. Et quando dicitur quod tunc est generatio in actu, dico quod si per generationem intelligatur aliquid fieri, non est tunc

¹ Arist., *Metaph.*, IX, 8, 1050b8 segg.

generatio in actu; sed intelligendo per generationem genitum esse, sic generatio tunc est in actu, et non requiritur quod generans tunc sit in actu, sed solum quod prefuit usque ad illud instans.

Ad ultimam dico quod calor ignis et calor animalis sunt eiusdem speciei, sicut videbitur in probatione tertie conclusionis principalis, nec propter hoc oportet quod possint in omnem eundem effectum secundum speciem, et hoc quia non sunt sub eodem gradu.

10 **◀Secunda conclusio principalis: de generatione mixti ex elementis▶**

Viso de prima conclusione principali videndum est de secunda. Quidam enim doctores faciunt difficultatem de generatione mixti ex elementis, quid scilicet inducit formam substantialem mixti in ultimo instanti temporis mensurantis totam transmutationem ad invicem. Non enim potest dici quod in illo instanti in quo subito inducitur forma mixti, quod inducitur ab ipsis elementis, quia in illo instanti elementa sunt corrupta, et ita in illo instanti non sunt; et quod non est nihil inducit. Ideo currunt ad celum tamquam ad ultimum refugium, dicentes quod in illo instanti ultimo celum inducit formam mixti.

Huic rationi respondidi et dixi quod in illo instanti ultimo temporis mensurantis totam transmutationem elementorum ad invicem non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia pro tunc forma est inducta, et ideo pro tunc non requiritur inducens; inductum enim non oportet inducere, sicut non oportet agere acta, sed sufficit quod fuit inducens in toto tempore precedenti. Et quia istud videbatur quibusdam dubium, ideo probo istam conclusionem secundam per quinque rationes, scilicet quod in instanti inductionis subite

forme substantialis in materia non requiritur agens pro tunc inducens formam.

Prima ratio est hec: cui non repugnat aliquid pro uno instanti sibi, pro nullo instanti repugnat illud; sed forme producte in aliquo instanti in quo est
5 producta non repugnat non habere causam agentem eam; ergo forme producte pro nullo instanti repugnat non habere causam agentem. Maior est manifesta, quia repugnantia est ratione naturarum, sed nature manent eedem semper; et si pro aliquo instanti aliqua non repugnant, sequitur quod pro
10 nullo instanti illa repugnant. Minor probatur, quia forme producte post primum instans in quo est producta non repugnat non habere causam efficientem, ut patet manifeste de qualibet forma permanente.

Secundo potest hoc probari per differentiam inter formam successivam et formam permanentem, que est talis: forma successiva, quia non est tota simul, sed semper aliqua pars eius est futura et in potentia, ideo forma
15 successiva semper, dum est, requirit causam efficientem; sed forma permanens, eo quod est tota simul, ideo, quando facta est non requirit causam agentem, eo quod tota forma iam habita est. Cum ergo in primo instanti in quo iam inducta est forma substantialis subito tota forma est facta in materia, non requiritur pro tunc aliquod agens vel efficiens formam.

20 Tertio probatur eadem conclusio sic: in illo instanti in quo non remanet in materia potentia ad formam non requiritur agens pro tunc inducens formam, quia quandocumque materia non potest recipere formam, pro tunc agens non potest aliquam inducere formam in materia, et non requiritur agens ad inducendum formam pro illo tunc pro quo non potest formam
25 inducere; sed in primo instanti in quo forma est inducta in materia non remanet potentia in materia ad illam formam; ergo etc. Probatio minoris, quia

per Commentatorem primo *Physicorum*¹ potentia ad formam corrumpitur in adventu illius forme; cum ergo in primo instanti inductionis forme forma est in materia, sequitur quod in illo instanti non remanet potentia ad istam formam. Et iterum: si potentia ad illam formam tunc remaneret, sequitur
5 quod illa forma posset adhuc iterum induci in materia; et ita eadem forma posset bis induci in materia, quod est impossibile.

Si dicas: quando materia recipit formam, tunc potest eam recipere; sed in ultimo instanti temporis mensurantis totam alterationem precedentem inductionem forme substantialis materia recipit formam; ergo tunc potest
10 eam recipere; ergo tunc remanet in materia potentia ad illam formam. Dicendum quod per 'recipere' possumus duo intelligere, scilicet vel fieri vel factum esse. Si per 'recipere' intelligamus fieri, tunc dico quod in ultimo instanti temporis mensurantis totam alterationem materia non recipit formam. Si vero per 'recipere' intelligamus receptum esse, tunc dico quod in
15 illo ultimo instanti materia recipit formam et est in potentia ad recipiendum formam; sed illa non est potentia de qua agens transmutat materiam ad actum, scilicet potentia respectiva vel potentia que est ordo ad actum, quia illa corrumpitur in adventu actus, sed illa est potentia logica, que semper sequitur actum, sicut propositio de possibili semper sequitur ad
20 propositionem de inesse.

Quarto probatur principalis conclusio sic: non magis generatio subita requirit generans in actu pro instanti generationis subite quam corruptio subita requirit corrumpens in actu pro instanti corruptionis subite; sed corruptio subita non requirit corrumpens in actu in instanti corruptionis
25 subite; ergo etc. Maior patet; et probo minorem: nam elementa per transmutationem eorum ad invicem corrumpunt se, nec hoc negat aliquis;

¹ Averr., *In I Phys.*, comm. 60.

sed pro instanti corruptionis subite elementorum elementa non sunt in actu, sed sunt corrupta; ergo etc.

Quinta ratio est ista: ponamus quod calidum intensum agat in frigidum remissum quousque illud frigidum corrumpatur; manifestum est ex doctrina Aristotelis¹ quod passum communicans in materia cum agente reagit. In ultimo ergo instanti temporis mensurantis transmutationem factam a frigido in calidum, aliquid est primo inductum a frigido in calidum, quia terminus illius totius alterationis tunc primo est inductus, et tamen pro tunc non habet agens inducens illum terminum, quia in illo instanti frigidum est corruptum; ergo eodem modo erit in inductione forme substantialis, scilicet quod pro instanti inductionis subite forme substantialis non requiritur agens vel inducens pro tunc. Exempla multa sunt ad hoc. Ponamus quod aliquod movens moveat corpus localiter, et quod in ultimo instanti temporis mensurantis motum Deus corrumpat vel annihilat movens et remaneat mobile; certum est quod in illo instanti inducitur unum ubi in illo corpore, et tamen in illo instanti non manet inducens, quia inducens ubi non erat nisi movens localiter, quod in illo instanti est corruptum. Alia exempla sunt quasi infinita.

〈Obiectiones〉

Sed contra hoc arguitur, quia effectus particularis et in actu requirit causam particularem et in actu; sed illa inductio vel generatio subita est effectus particularis et in actu; ergo etc.

Item, omnis actus secundus pro mensura qua est requirit operans in actu a quo est ille actus secundus; sed generatio subita est quidam actus secundus; ergo etc.

¹ Arist., *De gen.*, I, 7, 324b9-10; A.A. 168, n. 12.

Item, videmus quod illa que subito inducuntur habent causam in actu, ut patet in illuminatione medii a sole; si enim sol corrumpetur in aliquo instanti, in illo instanti deficeret illuminatio medii; ergo eodem modo erit in inductione subita forme substantialis.

5 **⟨Responsiones⟩**

Pro istis rationibus dico quod generatio subita substantie vel forme substantialis non est aliud quam ipsa forma substantialis; quod patet, quia, si esset aliud, vel esset substantia vel accidens. Non est dicere quod est substantia, quia nec materia nec forma alia, quia sic essent plures forme
10 substantiales inducte in qualibet generatione; nec est dicere quod sit accidens, quia omne receptum in materia simul cum forma substantiali est posterior forma substantiali et sequela eius; sed generatio non est posterior forma substantiali nec sequela eius, sed magis e converso, ut communiter ponitur; nam communiter dicitur quod forma substantialis est terminus generationis
15 subite. Et si dicatur quod sit accidens et prius natura in materia quam forma substantialis, contra: istud est contra communem opinionem omnium, scilicet quod aliquod accidens de novo inductum in materia mediet inter materiam et formam substantialem. Et item, si generatio sit aliquid aliud a forma receptum in materia, oportet quod fiat et generetur in materia, cum sit quid
20 novum; tunc illius generationis erit alia generatio, et sic in infinitum. Dico tunc ad primum obiectorum quod effectus particularis et in actu, hoc est in fieri, requirit causam in facere; sed illa inductio vel generatio subita non est effectus in fieri, sed in facto esse; ideo etc.

Ad secundum, quod inductio subita vel generatio subita non est actus
25 secundus, sed primus, quamvis significetur ut actus secundus.

Ad tertium, dico quod quedam forme sunt que sunt continue in fieri et requirunt non solum causam efficientem, sed etiam semper, dum sunt,

requirunt causam particularem conservantem, cuiusmodi forme sunt lumen et ymago in speculo et huiusmodi. Et dico quod tales forme requirunt efficiens et conservans quando facte sunt, quia consistunt in continue fieri, et ideo dicit Augustinus¹ quod lumen non est factum in medio, sed fit in medio.

5 Alie sunt forme que proprie sunt facte in subiectis, et ille sunt forme permanentes omnino, et ille forme, quando sunt facte, non requirunt efficiens non plus pro primo instanti quam pro quocumque instanti posteriori. Et huiusmodi sunt forme substantiales et multe forme accidentales.

10

⟨Tertia conclusio principalis: illi tres calores quos Philosophus distinguit in secundo *De generatione animalium*, scilicet calor celestis, elementaris et animalis sunt eiusdem speciei athome⟩

15 Tertia conclusio principalis que videbatur dubia fuit ista, quod illi tres calores quos Philosophus distinguit in secundo *De generatione animalium*², scilicet quod calor celestis, elementaris et animalis sunt eiusdem speciei athome. Unde pono conclusionem sub hac forma: quod calor celestis, elementaris et animalis sunt eiusdem speciei athome seu specialissime.

20 Hec conclusio probatur quadrupliciter: primo sic: calor celestis aut propter hoc dicitur celestis quia est in celo subiective aut quia est a celo effective. Non primo modo, quia calor non est subiective in celo, cum celum non recipiat peregrinas impressiones³; ergo calor dicitur esse celestis quia est a celo effective; sed calor elementaris est a celo effective; ergo calor celestis et
25 calor elementaris idem sunt. Et eadem ratione calor animalis erit idem cum

¹ Cf. August., *De civitate Dei*, XI, 7.

² Arist. *De gen. animal.*, II, 3, 736b34-37; A.A., 224, nn. 192, 193.

³ Arist. *De coelo*, I, 3, 270a27-35; A.A., 160, n. 17.

istis; et per consequens non differunt specie. Quod autem calor elementaris sit effective a celo apparet per Philosophum primo *Metheorum*¹, qui dicit quod causa effectiva omnium dispositionum hic inferius est corpus celeste, et causa ut materia sunt quatuor elementa. Ex hoc arguo sic: corpus celeste est causa
5 effectiva per se omnium dispositionum quarum elementa sunt per se materia sive subiectum; sed elementa sunt per se materia sive subiectum omnium dispositionum hic inferius, vel saltem dispositionum primarum, cuiusmodi est caliditas; ergo etc. Item, probatur eadem minor per rationem Commentatoris in *De substantia orbis*², qui dicit omne calefaciens quod in
10 calefaciendo patitur reducitur ad calefaciens impassibile. Cum ergo ignis in calefaciendo patitur, apparet quod ignis non est principium calefaciens, sed corpus celeste; cum ergo primum in omni genere sit causa posteriorum, sequitur quod celum est causa effectiva caloris ignis; et sic calor ignis est calor celestis, quia est effective a celo.

15 Secundo, arguo sic: sicut calor elementaris calefacit et desiccat, ita calor celestis et calor animalis; isti ergo tres calores habent eundem effectum specie, et per consequens sunt eiusdem speciei.

Item, tertio sic: sicut calor elementaris potest intendi et remitti, ita calor celestis et etiam calor animalis; potest ergo calor animalis vel calor celestis sic
20 intendi et calor elementaris sic remitti quod veniant ad eundem vel consimilem gradum. Tunc arguo sic: illi calores qui sunt in consimili gradu, ita quod possunt in eandem operationem secundum speciem, sunt eiusdem speciei; sed calor animalis, celestis et elementaris sunt huiusmodi, cum reducantur ad consimilem gradum caloris; ergo etc.

¹ Arist., *Meteor.*, I, 2, 330a21-23; A.A., 171, n. 2.

² Averr., *De subst. orb.*, 2 (ARISTOTELES 1560, V, 323C).

Item, quarto sic: plus differunt calor ignis et calor aeris quam calor ignis et calor animalis; nam calor animalis est intensior calore aeris, et ita plus accedit ad calorem ignis; sed calor ignis et calor aeris sunt eiusdem speciei, aliter essent plures qualitates tangibiles prime quam quatuor. Et etiam per
5 Commentatorem libro *De generatione*¹ si ex aere generetur ignis, qualitas simbola, scilicet caliditas, est eadem numero primo in aere et deinde in igne; et que sunt eadem numero sunt eadem specie; cum ergo calor ignis et calor aeris sint eiusdem speciei, multo fortius calor animalis, elementaris et celestis erunt eiusdem speciei.

10 **〈Obiectiones〉**

Sed contra hanc conclusionem arguitur: quia per Philosophum secundo *De generatione animalium*² et etiam per Commentatorem 12 *Metaphysice*³ calor celestis salvat et vivificat, calor elementaris corrumpit et destruit; isti ergo calores habent effectus contrarios; ergo differunt specie.

15 Item, Aristoteles secundo *De generatione animalium*⁴ dicit quod in animali, immo in qualibet parte animalis, sunt isti tres calores; sed plures forme absolute eiusdem speciei non sunt simul in eodem; ergo isti tres calores non sunt eiusdem speciei.

〈Responsiones〉

20 Pro istis rationibus est intelligendum quod calor in gradu in quo est conveniens complexioni animali dicitur calor animalis, et secundum quod est a celo effective vel secundum quod mensuratur et habet terminum a celo dicitur calor celestis, et secundum quod est ab igne dicitur calor elementaris. Verbi gratia Commentator 12 *Metaphysice*⁵ commento 19 dicit quod calor

¹ Averr., *In II De gen.*, comm. 25.

² Arist. *De gen. animal.*, II, 3, 736b34-37; A.A., 224, nn. 192, 193.

³ Averr., *In XII Metaph.*, comm. 18.

⁴ Arist. *De gen. animal.*, II, 3, 736b34-37; A.A., 224, nn. 192, 193.

⁵ Averr., *In XII Metaph.*, comm. 18.

celestis qui generat animalia est similis calori artificiali, quem ars mensurat ad aliquam operationem; et secundo *De anima*¹ commento 42 dicit Commentator quod alterare alimentum attribuitur calori ignis vel igni, sed secundum quod alteratio est terminata, «debet attribui virtuti coniuncte cum
5 igne, quemadmodum mollificare ferrum per ignem» ad faciendum aliquod instrumentum ut gladium vel cultellum, secundum quod ei mollificare attribuitur secundum quod illa mollificatio habet terminum motus, in unoquoque instrumento attribuitur virtuti artificis. Sicut ergo non est alius calor ille qui est ignis et ille calor qui est artis, quo artifex utitur, nec
10 mollificatio que est ab igne est alia ab illa que habet terminum et mensuram ab arte, ita non est alius calor animalis qui est conveniens complexioni animalis, et qui est igneus digerens alimentum et qui habet terminum vel mensuram a celo vel ab anima.

Dico tunc ad formam prime rationis quod sicut calor ignis intensus
15 ultra gradum convenientem complexioni animali corrumpit animal et in gradu convenienti salvat animal, ut patet in tempore multum frigido animalia salvantur per calorem igneum eis convenientem, ita calor celestis conveniens complexioni animali salvat animal, et intensus ultra gradum convenientem complexioni animalis corrumpit animal, ut patet in ferventi
20 estate. Et ideo tam calor elementaris quam calor celestis et corrumpit animal et etiam salvat animal, in alio tamen gradu et alio. Quod ergo dicunt Philosophus et Commentator quod calor elementaris corrumpit animal et calor celestis salvat; dico quod per calorem elementarem intelligit calorem in illo gradu in quo consequitur formam elementi, et certum est quod sic
25 corrumpit animal; et per calorem celestem intelligit calorem secundum quod imponitur sibi certus gradus a corpore celesti, et sic salvat. Unde manifestum

¹ Averr., *In II De anima*, comm. 41.

est quod idem calor secundum speciem in uno gradu salvat animal, et in alio corrumpit animal, ut patet de calore igneo vel de calore compossibili aque, qui in aliquo gradu salvat et in alio gradu corrumpit animal.

Ad secundum, quando dicitur quod isti tres calores sunt in eadem parte animalis; dico quod non sunt tres calores, sed idem calor secundum numerum secundum diversos respectus vel habitudines dicuntur diversi calores.

Sed hic est unum dubium, quoniam si idem calor secundum speciem esset calor animalis et celestis, tunc generata per putrefactionem a calore celesti possent generari a calore elementari, ita quod si in hyeme esset calor igneus circa corpus putridum in tali gradu in quali est calor celestis in estate, ita generaretur corpus animatum per actionem elementi sicut per actionem celi. Et hoc confirmatur, quia eodem modo disposeret materiam, et per consequens consimilem formam induceret.

Dicendum: concedo conclusionem quod si calor igneus posset sic regulari et in gradu convenienti salvari sicut calor celestis, quod sic generaret animal sicut calor celestis, sed hoc esset valde difficile et forte impossibile.

Nunc restat videre de quarta conclusione principali et de rationibus suis.

20

⟨Quarta conclusio principalis: forme contrarie, videlicet calor et frigus, albedo et nigredo, sunt eiusdem speciei specialissime⟩

Quarta conclusio erat quod forme contrarie, videlicet calor et frigus, albedo et nigredo, sunt eiusdem speciei specialissime.

25

Istam conclusionem probavi per rationes et auctoritates. Per rationes primo logice, secundo physice, tertio per rationem moralem, quarto per rationem medicinalem.

Prima ratio talis est: quocumque aliqua duo equaliter distant
5 distantia formali a perfectissimo in aliqua specie, si unum illorum duorum sit
in illa specie, reliquum erit in illa specie. Et similiter: si illud quod est
remotius a perfectissimo sit in eadem specie cum perfectissimo, et illud quod
est propinquius propinquitate formali erit in eadem specie cum illo
perfectissimo. Hoc apparet in determinatis in logica. Dicit enim Auctor *Sex*
10 *principiorum*¹ capitulo de causa susceptionis magis et minus: illud est magis
tale quod magis accedit ad summum tale, et illud est minus tale quod magis
distat a summo tali. Verbi gratia illud est albius quod est propinquius
albissimo, et illud est minus album quod magis distat ab albissimo. Et idem
vult Philosophus in *Topicis*² et etiam quinto *Metaphisice*³ capitulo de priori, et
15 loquitur de distantia et propinquitate formali. Sed est dare aliquam
caliditatem et aliquam frigiditatem que eque distant distantia formali a
summa caliditate; et etiam est dare aliquam frigiditatem propinquiorem
summe caliditati aliqua caliditate data; ergo, cum quecumque caliditas data
sit in eadem specie cum summa caliditate, sequitur quod frigiditas que est
20 eque propinqua summe caliditati et etiam frigiditas que est propinquior
summe caliditati quam una caliditas data sint in eadem specie cum summa
caliditate; et per consequens caliditas et frigiditas sunt in eadem specie. Et
volo semper loqui de propinquitate et distantia formali ipsarum formarum
cum loquor de distantia vel propinquitate earum. Maior huius rationis est
25 plana et determinata in logica. Et probo minorem quantum ad utramque

¹ *Liber sex principiorum*, 8.

² Arist., *Top.*, III, 5, 119a20 segg.; A.A., 325, n. 55.

³ Arist., *Met.*, V, 11, 1018b9-14; A.A., 126, n. 136.

partem. Et suppono duo fundamenta declarata ab Aristotele in scientia naturali. Primum est quod rei permanentis de novo producte in esse per alterationem est dare primum instans in quo habet esse. Et hec est plana, etsi Aristoteles non dixisset eam, quia in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem habet terminus alterationis primo esse, quia aliter aliquid moveretur ad formam quam habet. Secundum fundamentum est quod rei permanentis [producte vel] corrupte per alterationem non est dare ultimum instans in quo habet esse. Et hanc scribit Aristoteles, et vera esset quamvis Aristoteles eam non scripsisset, quia, si esset dare ultimum instans in quo talis res haberet esse, illa res corrumpetur in non tempore, et ita non per alterationem. Istis suppositis arguo: et suppono quod aliquid transmutetur a calido in frigidum. Tunc per primum suppositum est dare primum instans in quo est sub frigido, et sit illud instans a; volo tunc quod statim sit approximatum unum agens tante virtutis in transmutando illud corpus versus summum calidum et in appropinquando ipsum summe calido propinquitate formali, quante virtutis fuit transmutans ipsum versus frigidum faciens ipsum formaliter distare a summo calido. Hoc est enim possibile, ut satis patet cuilibet intelligenti. Tunc, cum non sit dare ultimum instans in quo talis res permanens habet esse, ut patet per secundum suppositum, sequitur quod adhuc post a erit illud corpus sub frigiditate; et signetur aliquod instans post a in quo illud corpus erit sub frigiditate et sit c; accipio tunc unum instans ante a in quo illud corpus fuit sub caliditate tantum distans ab a ex parte ante quantum c distat ab a ex parte post, et sit illud instans b. Tunc arguo sic: quantum illud corpus vel forma sub qua erat recessit recessu formali a summo calido in tempore inter a et b, tantum accessit accessu formali ad summum calidum in tempore inter a et c; et per consequens quantum perdidit de propinquitate formali in tempore inter b et

a, tantum acquisivit de propinquitate formali in tempore inter a et c; ergo
eque propinquum formaliter summo calori est in c sicut fuit in b. Sed in c est
sub forma frigiditatis, et in b fuit sub forma caliditatis, ergo caliditas quam
habet in b et frigiditas quam habet in c sunt vel fuerunt eque propinque
5 propinquitate formali summo calori. Aliam partem minoris probo, scilicet
quod aliqua frigiditas est propinquior summo calori quam caliditas aliqua
data, quia signo instans in medio temporis inter b et a, et sit illud instans d; in
d instanti qualitas illius mobilis dati fuit caliditas, quia semper ante a fuit sub
caliditate, et in c sua qualitas fuit frigiditas; sed in d sua qualitas magis
10 distabat formaliter a summo calore quam qualitas quam habuit in c, quia
magis accessit mobile vel qualitas mobilis versus summum calorem
formaliter in tempore inter a et c quam recessit formaliter a summo calido in
tempore inter d et a; ergo frigiditas sub qua mobile fuit in c est propinquior
summo calori quam caliditas sub qua mobile fuit in d instanti. Et loquor de
15 propinquitate et distantia formali.

Si dicas quod ista ratio est equaliter contra te, quia tu non vis quod calor
et frigus eque distent formaliter a summo calore; dico quod ponendo quod
calor et frigus sint in eadem specie, sicut ego pono, non est mihi inconueniens
concedere quod aliquis calor et aliquod frigus eque distent a summo calido,
20 quia forte ponam quod frigus non est nisi calor remissus, sicut umbra est
lumen diminutum. Sed ponendo quod calor et frigus differant specie, est
valde inconueniens ponere quod aliquis calor et aliquod frigus equaliter
distant a summo calido, quod tamen oportet dicere, supposito quod differant
specie.

25 Si dicatur huic rationi quod non est possibile quod statim post a
transmutetur versus summum calidum, quia in motu reflexo oportet mobile
quiescere in puncto reflexionis. Contra: istud non solvit, quia ponamus quod

quiescat per aliquod tempus, et sit e ultimum instans temporis mensurantis eius quietem, et distet c tantum ab e ex parte post quantum b distat ab a ex parte ante; et fiat ratio eodem modo in quatuor vel in quinque terminis, sicut prius fiebat in tribus vel in quatuor terminis. Si vero dicatur quod post a
5 statim erit sub calido, quia statim remitteretur frigiditas, cum frigiditas non remittitur nisi per admixtionem calidi, ut patet quinto *Physicorum*¹; contra: istud est contra duo fundamenta supposita et probata.

Et etiam arguendo aliter: si statim post primum instans temporis mensurantis alterationem inducatur forma ad quam est motus, quero aut
10 totus terminus ad quem statim inducitur, vel pars eius. Si detur quod totus terminus statim inducitur, sequuntur duo inconvenientia: primum est quod terminus motus acquiritur sine motu, quia illa forma que nunc non est in subiecto et statim sine medio erit in subiecto acquiritur sine motu. Secundum
15 inconueniens est quod mobile, dum movetur, est totaliter sub termino ad quem, quia semper durante motu habet terminum ad quem. Si dicatur quod pars termini ad quem statim sine medio inducitur, cum illa pars sit de specie termini ad quem, sequitur quod tota species termini ad quem acquiritur sine medio et sine motu.

Item, arguitur eodem modo de termino a quo: in primo instanti
20 temporis mensurantis motum manifestum est quod mobile <est> in toto termino a quo, et per te statim sine medio erit sub forma contraria; quero tunc aut statim corrumpetur totus terminus a quo, aut nihil eius aut pars eius. Non est dicere quod statim corrumpatur totus terminus a quo, quia sic mobile dum moveretur non haberet aliquid de termino a quo. Si detur quod
25 nihil eius statim corrumpitur, sequitur quod nihil de termino ad quem statim acquiritur, quia quantum acquiritur de termino ad quem tantum corrumpitur

¹ Arist., *Phys.*, V, 2, 226b1 segg.; A.A., 153, n. 157.

de termino a quo. Si detur quod aliquid de termino a quo statim sine medio
corrumpitur, sequitur quod illud corrumpitur in non tempore, et certum est
quod aliquid de termino a quo corrumpitur in tempore; cum ergo inter illud
quod corrumpitur in non tempore et illud quod corrumpitur in tempore ab
5 eodem agente non sit proportio, sicut nec est proportio inter tempus et
instans, sequitur quod illa pars termini a quo que corrumpitur in non
tempore non habeat aliquam proportionem ad totum terminum a quo, qui
corrumpitur in tempore, vel ad illam partem que corrumpitur in tempore;
quod est impossibile, quia cuiuslibet finiti ad finitum eiusdem rationis est
10 aliqua proportio.

Item, si in a instanti mobile sit sub frigiditate et statim sine medio erit
sub caliditate et non erit statim sub tepiditate, ut manifestum est, sequitur
quod illud quod transmutatur de calido in tepidum vel in frigidum
necessario erit prius sub frigiditate quam sub tepiditate, et ita transiens ab
15 extremo in extremum necessario erit prius sub extremo quam sub medio;
quod est impossibile, quia secundum Philosophum quinto *Physicorum*¹
«medium est in quod continue mutans prius devenit quam in ultimum».

Item, caliditas aeris est caliditas remissa, et similiter levitas aeris est
levitas remissa; si ergo nihil remittatur nisi per admixtionem sui contrarii,
20 sequitur quod qualitates aeris essent mixte et non essent simplices.

Item, argumentum principale posset bene fieri de raro et denso, scilicet
quod rarum et densum non differunt specie, quia recedat aliquid a summa
raritate quousque sit sub densitate, et postea moveatur e contra; manifestum
est quod non statim acquirat raritatem, quia de denso non fit rarum per
25 admixtionem partium rararum nec de raro densum per admixtionem
partium densarum.

¹ Arist., *Phys.*, V, 3, 226b 1 segg.; A.A., 152, n. 148.

Secundo, arguo ad conclusionem quartam physice per rationes quinque. Primo sic: impossibile est quod contraria eiusdem speciei sint magis contraria quam contraria diversarum specierum; sed aliqua duo calida que sunt eiusdem speciei sunt magis contraria quam aliquod calidum et aliquod frigidum datum; ergo calidum et frigidum non sunt diversarum specierum; sic enim forme eiusdem speciei essent magis contrarie quam forme diversarum specierum, quod est impossibile. Maior huius rationis est plana, quia ex quo contrarietas est quedam distantia et diversitas, et illa que sunt eiusdem speciei non possunt plus distare formaliter nec inter se maiorem diversitatem habere quam illa que differunt specie, et apparet manifeste quod forme eiusdem speciei non possunt esse magis contrarie quam forme diversarum specierum. Minorem probo: nam per Philosophum primo *De generatione*¹ actio est ratione contrarietatis; illa ergo contraria que inter se agunt et patiuntur magis sunt contraria quam illa que non agunt et patiuntur inter se, dummodo tamen sint forme active. Sed certum est quod aliquod calidum valde intensum approximatum calido multum remisso agit in ipsum, ut ignis in aerem vel in animal; sed est dare aliquod calidum approximatum alicui frigido et neutrum aget in reliquum, ergo etc. Probatur assumptum: nam ponamus quod aliquod calidum parvum, ut parva flamma, agat in magnam aquam, puta in aquam maris; illud calidum aget in aliquam partem maris; capio tunc partem maris calefactam ab isto calido, illa est approximata parti frigide; quero tunc aut calefaciet eam vel non. Si non, habetur propositum, quod aliquod calidum approximatum alicui frigido non aget in ipsum; si detur quod sic, sequitur eadem ratione quod illa pars calefacta calefaciet aliam, et sic quousque totum mare sit alteratum; et sic parva flamma posset alterare totum mare, quod est inconveniens. Et hoc

¹ Arist., *De gen.*, I, 7, 323b30 segg.

potest argui sub alia forma sic: quero aut ista parva flamma alterabit totum mare aut non; non est dare primum, quia sic moto uno moverentur omnia; si detur quod non, capio totum alteratum seu calefactum ab ista flamma, illa pars calefacta est approximata alteri parti non calefacte, et tamen non agit in
5 eam, ergo etc.; quod est propositum.

Secunda ratio physica est ista: quelibet species est determinata ad maximum et ad minimum, ut patet ex secundo *De anima*¹ «omnium natura constantium» etc.; sed calor non est determinatus ad maximum et ad minimum; ergo non est species distincta a frigore; et sic calor et frigus non
10 sunt species distincte. Probatio minoris: si calor esset determinatus ad maximum et frigus similiter, quod oporteret ad hoc quod essent species distincte, tunc esset dare minimum calorem et minimum frigus. Cum ergo possibile sit aliquod frigidum approximari minimo calido, potest agere in ipsum transmutando ipsum ad frigidum; sit ergo a primum instans in quo
15 frigidum est approximatum illi calido, quero utrum post a manebit calidum vel non. Si detur quod sic, cum frigidum approximatum calido remittat ipsum, sequitur quod si post a maneat calidum, quod erit dare minus calidum minimo calido, et ita erit dare minus minimo. Si detur quod non manebit calidum post a, sequitur quod a est ultimum instans in quo mobile
20 est sub calido, et ita in alteratione esset dare ultimum instans in quo res permanens habet esse, quod est impossibile. Et «sequitur etiam» quod est dare primum instans in quo forma sequens habet esse, et inter illa duo instantia est tempus medium in quo nec esset sub forma priori nec sub forma posteriori. Vel transmutetur mobile a magna caliditate ad minimam
25 frigiditatem transeundo per minimam caliditatem; in uno ergo instanti erit mobile sub minima caliditate et in alio sub minima frigiditate, et sequeretur

¹ Arist., *De anima*, II, 4, 416a16-17; A.A., 181, n. 87.

quod illa duo instantia erunt immediata vel in medio mobile erit sub neutra forma; quod est impossibile.

Tertia ratio physica est ista: si albedo et nigredo, fuscado et rubedo etc. differunt specie, cum transiens a specie extrema ad speciem extremam
5 distantem per species medias prius pertranseat per media, ut patet ex
diffinitione medii quinto *Physicorum*, «medium est in quod continue mutans
prius devenit quam in ultimum»¹, sequitur quod transiens de nigredine ad
albedinem prius fieret sub speciebus mediis. Et ita, cum aliquid transeat a
10 nigredine ad albedinem, prius, antequam esset sub albedine, fieret sub
rubedine et viriditate; et sic, cum capilli nigri canescerent, oporteret quod
fierent virides et rubei antequam essent albi; quod non videmus. Si dicatur
quod non oportet transire per omnes species medias sed per aliquam; contra:
diffinitio medii debet competere omni speciei medie.

Item, species coloris, si species habeant, se habent secundum ordinem,
15 ita quod una est propinquior albedini, alia remotior. Si ergo mobile debeat
transire a nigredine ad albedinem per aliquam speciem mediam, aut ergo illa
species est immediata nigredini aut non. Si non, tunc est aliquod medium; et
quero: aut oportet transire per illud aut non; si detur quod sic, sequitur quod
transibit per omnia media per illud idem argumentum; si detur quod
20 contingit pertransire ab aliqua specie ad speciem mediatam non
pertranseundo medium, sequitur quod erit transitus ab extremo in
extremum, et tamen per nullum medium; quod est impossibile.

Item, colores medii secundum Philosophum componuntur ex extremis,
ita quod secundum quod aliquis color medius habet magis de uno extremo
25 quam de alio in aliqua proportione numerali delectabili fit una species, et
secundum aliam proportionem alia; cum ergo in transmutatione ab albedine

¹Arist., *Phys.*, V, 3, 226b 1 segg.; A.A., 152, n. 148.

ad nigredinem vel e contrario oporteret pertransire per omnes istas
proportiones, quia si albedo nunc accedat ad nigredinem in aliqua
proportione, antequam sit deventum ad nigredinem excedet vel excedetur in
proportione alia, sequitur quod transiens ab albedine ad nigredinem transibit
5 necessario per omnes species medias.

Item, quod colores omnes sint eiusdem speciei specialissime videtur:
nam secundum Philosophum et Commentatorem in *De sensu et de sensato*¹
colores componuntur ex luce et opaco; et lux est formale in omnibus
coloribus, et opacum materiale. Tunc arguo sic: lux est unius speciei in
10 omnibus coloribus, sed quorum formalia sunt eiusdem speciei, illa sunt
eiusdem speciei; ergo etc.

Quarta ratio physica est ista: non plus differunt termini alterationis
quam termini augmentationis, quia ita verus motus vel verior est
augmentatio sicut alteratio; sed termini augmentationis non differunt specie;
15 ergo nec termini alterationis. Probatio minoris: nam augmentatio est a minori
quantitate corporea ad maiorem quantitatem corpoream; sed omnis quantitas
corporea cum omni quantitate corporea est eiusdem speciei, quia non
differunt nisi secundum magis et minus, ut satis patet cuilibet intelligenti.

Quinta ratio physica est ista: si contraria differrent specie, motus non
20 caperet speciem nec denominationem a termino ad quem. Probatio: quia si
motus caperet speciem vel denominationem a termino ad quem, aut ergo
quando motus est aut quando non est; non quando non est, quia tunc non est
in specie; nec quando est, quia quaecumque alteratio est, est
indeterminatum in re ad quam speciem terminabitur, ut si aliquid alteratur a
25 calido versus frigidum, indeterminatum est in re utrum ista alteratio
terminabitur ad frigidum vel ad temperatum vel ad frigidum remissum. Ergo

¹ Arist., *De sensu*, 3, 439b15-18.

si calidum, frigidum et temperatum differrent specie, numquam haberet motus denominationem vel speciem a termino ad quem.

Tertio, probo conclusionem principalem per rationem moralem sic: virtus moralis et aliquod vitium sibi oppositum sunt contraria, et tamen sunt
5 eiusdem speciei, ergo etc. Quod virtus moralis et vitium sibi oppositum sunt
eiusdem speciei, et hoc loquendo de illo quod est absolutum in virtute et
vitio, probo: quia illi habitus sunt eiusdem speciei qui generantur ex actibus
consimilibus sive ex actibus eiusdem speciei, et hoc quantum ad substantiam
actus; sed virtus et vitium sunt huiusmodi; ergo etc. Maior patet, quia
10 circumstantie actuum, ut circumstantia finis vel huiusmodi, non se tenent in
ratione efficientis, finis enim non efficit, immo nihil efficit habitum quantum
ad absolutum in habitu nisi substantia actus; et ideo si actus secundum
substantiam sint similes, habitus erunt similes. Et minor probatur sic:
ponamus quod duo aggrediantur bellum frequenter et consimiles actus
15 omnino exercent, unus propter defensionem rei publice, alter pro pecunia
acquirenda, ut puta pro stipendiis vel pro vanagloria. Uterque per huiusmodi
actus potest acquirere habitum quo faciliter delectabitur et prompte, et sic de
aliis conditionibus habitus operatur aggrediendo bellum; certum est tunc
quod uterque acquirit habitum, et unus acquirit habitum virtuosum et alius
20 habitum vitiosum, et tamen isti habitus sunt eiusdem speciei; ergo etc.

Et si dicatur quod, quamvis actus exteriores sint eiusdem speciei, non tamen actus interiores; contra: actus interiores, scilicet velle pugnare et defendere rem publicam, pro quocumque fine si sint sunt eiusdem speciei, cum sint in eadem potentia et respectu eiusdem obiecti.

Item, probo conclusionem principalem per aliam rationem talem: ponamus quod aliquis frequenter aggrediatur bellum propter inanem gloriam vel propter cupiditatem pecunie, ita quod acquirat habitum quo

faciliter et delectabiliter operetur; certum est quod iste habitus non est virtuosus cum non generetur ex actibus ordinatis ad bonum finem. Ponamus tunc quod ipse mutet finem et aggrediatur bellum propter defensionem rei publice; certum est quod ille delectabiliter operatur et faciliter et prompte sicut prius; ergo operatur ex habitu ex quo operatur propter bonum finem, operatur enim ex habitu virtuoso, quia ponamus quod delectabiliter operetur etc., sciens quid operatur et propter quid, et sic de aliis circumstantiis; et certum est quod per istum unum actum non acquisivit novum habitum oppositum prius acquisito; ille ergo idem habitus qui primo fuit vitiosus fit postea virtuosus, quod non esset si virtus et vitium differrent specie. Impossibile enim est idem esse nunc in una specie et iam in alia.

Quarto, probo per rationem medicinalem sic: sanitas et egritudo, que sunt contraria considerata a medico, sunt eiusdem speciei, et hoc loquendo de eo quod est absolutum in eisdem. Probatur dupliciter: primo, quia sanitas vel est ipsi humores vel qualitates proportionate vel proportio seu adequatio, que sunt relationes. Si per sanitatem et egritudinem intelligamus ipsos humores et qualitates, certum est quod qualitates et humores sunt eiusdem speciei in sano et egro. Si autem intelligamus per sanitatem et egritudinem adequationem vel inadequationem, ista sunt relationes; et ideo, cum nihil est ibi absolutum nisi qualitates, que sunt eiusdem rationis in sano et egro.

Item, illud idem quod est sanitas in uno est infirmitas in alio quantum ad absolutum in eis, quia illa adequatio vel proportio qualitatum que est sanitas in leone vel in serpente, esset infirmitas in homine; sed illud quod est unius speciei in uno subiecto, non est alterius speciei in alio subiecto; ergo sanitas et egritudo quantum ad illud quod est absolutum in eis sunt eiusdem speciei.

Dico ergo quod calor et frigus, albedo et nigredo, et universaliter omnia contraria que habent fieri successive circa idem subiectum ens in actu sunt eiusdem speciei specialissime. Et dico quod frigiditas, quantum ad illud quod est positivum et absolutum in frigiditate, non est nisi caliditas remissa; et hoc
5 patet per Philosophum quarto *Meteororum*¹, qui dicit quod omnia elementa preter ignem sunt putrefactibilia; nunc autem per Philosophum² ibidem putrefactio est corruptio caliditatis a caliditate ambientis; ergo tria elementa alia ab igne habent propriam caliditatem; sed caliditas terre vel aque non potest esse nisi eius frigiditas; ergo frigiditas est quedam caliditas.

10 Item, Commentator in secundo *De celo*³ loquens contra Avicennam, qui dicit quod quedam corpora celestia causant calorem et quedam frigiditatem, dicit quod rei veritas est quod corpora celestia non causant frigiditatem, et hoc est verum quantum ad privationem quam includit frigiditas. Et dicit quod causant calores similes unicuique elemento, ergo unum elementum
15 habet calorem sibi proportionabilem; sed calor aque vel terre non est nisi frigiditas; ergo etc.

⟨Obiectiones⟩

Contra hoc arguitur, quia secundum hoc rationale et irrationale essent eiusdem speciei, cum sint contraria.

20 Item, Aristoteles in multis locis et quasi ubique ponit contraria differre specie, unde contraria sunt que posita sunt sub eodem genere et maxime distant decimo *Metaphysice*⁴, quod non esset si essent in eadem specie.

⟨Responsiones⟩

Ad primum, dico quod contraria que habent fieri circa idem subiectum ens
25 in actu, et inter que est transmutatio circa idem subiectum ens in actu,

¹ Arist., *Meteor.*, IV, 1, 379a14-15; A.A., 173, n. 25.

² Arist., *Meteor.*, IV, 1, 379a11-12.

³ Averr., *In II De celo*, comm. 42.

⁴ Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243; 7, 1057b1 segg.

sunt eiusdem speciei; nec loquor de aliis. Nunc rationale et irrationale non sunt huiusmodi, ideo non sequitur quod sint in eadem specie.

Ad aliud, <dico> quod Aristoteles communiter loquitur secundum famositatem, unde ipse dicit quod loquendum est ut plures et sentiendum ut
5 pauci; et ideo loquitur secundum famositatem communiter ubicumque procedit narrative vel inquisitive, sed ubi procedit determinando dubitationem seu inquisitionem, ibi procedit determinando veritatem et ibi dicta sua sunt autentica: non autem ubi solum narrat vel inquirit arguendo ad utramque partem. Et quia istam questionem de ydemptitate specifica
10 contrariorum non disputavit, sed solum narrative processit, dico quod ubique in hac materia loquitur secundum famositatem, et sic possunt solvi omnia adducta in contrarium et adducenda.

<Obiectiones>

Responsio ad rationes quarte conclusionis et replicatio in contrarium.

15 Quidam reverendus socius et magister credens rationes meas esse sophisticas, respondet ad rationes ad quartam conclusionem adductas modo infrascripto, contra quem probo per ordinem octo conclusiones quas credo concludere.

Ad primam rationem meam respondet concedendo omnia usque ad
20 istam suppositionem, scilicet quod non contingit dare ultimum instans in quo res permanens producta in esse per alterationem habet esse; illud negatur si universaliter accipiatur, quia est dare ultimum instans in quo remississimum frigidum habet esse. Unde prima suppositio conceditur, scilicet quod est dare primum instans in quo res permanens habet esse; secunda vero suppositio
25 negatur, scilicet quod non est dare ultimum instans in quo res permanens per alterationem corrumpenda habet esse: si enim calidum approximetur

remississimo frigido, in primo instanti approximationis manet frigiditas et numquam postea manebit. Et per hoc patet solutio ad primum argumentum.

Dicitur etiam quod primum argumentum facit fidem, quia per idem probabitur quod medium plus distaret ab uno extremorum quam unum
5 extremum ab alio.

Ad secundum argumentum respondet uno modo in dogmatibus non scriptis et alio modo in dogmatibus scriptis. In dogmatibus non scriptis, secundum quod fuit mihi reportatum, dicit quod magis calidum non agit in minus calidum quia contrariatur minus calido, sed quia contrariatur frigido
10 quod est in minus calido; unde minus calidum non patitur per naturam a magis calido, sed magis per naturam frigiditatis que est in ea. In dogmatibus vero scriptis dicit quod omne calidum approximatum frigido, dummodo non sit remississimum calidum, agit in frigidum, sed calidum remississimum approximatum frigido non alterat ipsum, sed statim corrumpitur ab eo; et
15 ideo falsum assumitur in arguendo quod calidum et frigidum ad invicem approximata neutrum agit in reliquum, immo necessario alterum agit in reliquum.

Ad tertium principale dicit breviter quod species sunt determinate ad maximum et ad minimum, unde concedit quod est dare calidum
20 remississimum et etiam frigidum remississimum.

⟨Responsiones⟩

Licet ista sint subtiliter dicta, tamen videtur mihi quod non sufficiunt. Primo, quia dicta in responsione ad primum argumentum repugnant et expresse contradictionem includunt. Probo igitur contra hec dicta octo
25 conclusiones.

Prima conclusio: quod dicta in responsione prima et in secunda claudunt contradictionem, unde pono conclusionem sub hac forma: quod hec

duo, scilicet quod sit dare ultimum instans in quo res permanens
corrumpenda per alterationem habet esse, et primum instans in quo res
permanens producta per alterationem habet esse claudunt contradictionem.
Probatur sic: sit a ultimum instans in quo frigiditas est in subiecto, et illi
5 subiecto approximetur calidum; tunc per te est dare primum instans in quo
inducetur calor in illo subiecto. Et cum calor sit res permanens, sit b primum
instans in quo calor inducitur in illo subiecto; tunc in a instanti ultimo fuit
frigidum; et certum est quod inter a et b est tempus medium; et sit illud
tempus c; quero tunc aut in c est illud subiectum calidum aut frigidum aut
10 neutrum. Si sit frigidum, ergo a non fuit ultimum instans in quo est frigidum,
quia post a est frigidum, cuius oppositum supponitur; si vero in c sit calidum
ergo est calidum ante b, in quo primo ponitur esse calidum; quod est
impossibile. Si dicatur quod in illo tempore medio, scilicet in c, nec sit
calidum nec frigidum, sequitur quod agens naturale erit approximatum
15 passo per tempus et non aget in ipsum; quod est impossibile per te.

Et si dicatur quod in c erit sub forma media; contra: idem argumentum
est de forma media; cum enim sit dare primum instans in quo forma media
habet esse, inter illud instans et a est tempus medium in quo nec est sub
forma media nec sub aliquo extremorum; quod est impossibile.

20 Item, forma, quecumque sit illa, quam calidum causat in illo subiecto
est forma permanens; ergo est dare primum instans in quo aliqua forma est
facta in illo subiecto a calido, et sit illud instans b; tunc in tempore medio
inter a et b erit calidum approximatum calefactibili et nihil causabit in ipso,
quod est impossibile.

25 Item, fiat argumentum de contrariis immediatis; manifestum est quod
subiectum erit in illo tempore medio sub altero contrariorum immediatorum,
aliter non essent immediata.

Secunda conclusio probanda est quod non est dare remississimum frigidum nec remississimum calidum, supposito quod calor et frigus sint species distincte. Probatur sic: si sit dare remississimum frigidum, eadem ratione erit dare remississimum calidum; volo ergo quod aliquod subiectum, ut puta p, transmutetur a frigido intenso quousque sit sub remississimo calido; inter frigidum intensum et calidum remississimum est medium, scilicet frigidum remississimum; ergo antequam deveniat ad calidum remississimum veniet ad frigidum remississimum, vel saltem possibile est quod transmutetur a frigido intenso ad calidum remississimum per frigidum remississimum tamquam per medium. In uno ergo instanti erit p sub frigiditate remississima, in alio sub caliditate remississima; sit a instans in quo est sub frigiditate remississima, et b instans in quo est sub caliditate remississima. Tunc quero in tempore medio inter a et b aut est sub caliditate aut sub frigiditate; si dicatur quod sub frigiditate, cum continue, dum movetur, frigiditas ipsa remittatur, sequitur quod in illo tempore medio sit remissior quam in a; et sic erit remissius remississimo. Si vero in illo tempore medio sit sub calido, cum continue crescat calor, sequitur quod in b est calidius quam in illo tempore medio, et ita in b non est caliditas remississima, vel si sic, oportebit dare remissius remississimo. Vel fiat argumentum in contrariis immediatis, et videtur concludere.

Tertia conclusio quam contra responsionem ad primum argumentum probavi est ista: quod impossibile est dare aliquid per se corruptibile per actionem sui contrarii corrumpi in instanti; et ita non est dare ultimum instans in quo talis forma habet esse nec gradum remississimum talis forme. Hec tertia conclusio probatur quadrupliciter. Primo sic: cuiuslibet speciei suscipientis magis et minus et habentis contrarium est dare aliquam formam habentem latitudinem, que forma non potest corrumpi a suo contrario nisi in

tempore, ut patet per adversantem qui distinguit de formis. Nam quedam habent latitudinem ut calor, frigus, non in summo nec in infimo; et quedam consistunt in indivisibili, ut remississimum calidum et remississimum frigidum. Ex hoc arguo sic: impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei quarum una potest corrumpi ab aliquo agente in instanti et alia non potest corrumpi ab eodem agente nisi in tempore; sed cuiuslibet speciei suscipientis magis et minus et habentis contrarium est dare aliquod individuum quod a suo contrario non potest corrumpi nisi in tempore, ut patet de calore et frigiditate; ergo impossibile est quod aliqua forma habens contrarium corrumpatur a suo contrario in instanti. Minor huius rationis apparet ex datis, et maior probatur sic: quia impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei, quarum una excedat aliam in infinitum in virtute activa vel resistiva; sed ista forma, que non potest corrumpi ab aliquo agente nisi in tempore, excedit in virtute in infinitum illam formam que corrumpitur ab eodem agente in instanti, et hoc si sint forme eiusdem rationis. Probo, quia que est proportio measure ad mensuram in quibus ille forme corrumpuntur ab illo agente, talis est proportio virtutis unius forme corrupte in tempore ad virtutem alterius forme corrupte in instanti ab eodem agente; sed cuiuslibet virtutis finite ad virtutem finitam est aliqua proportio; ergo etc.

Vel potest argui sic: ponamus quod una forma que non potest corrumpi a suo contrario nisi in tempore, quod ipsa non possit corrumpi a tanto contrario regulariter transmutante in tanta approximatione, nisi in tanto tempore; signetur et sit in uno momento, et ponamus quod illa excedat formam eiusdem speciei, que non potest corrumpi ab eodem agente nisi in instanti in proportione finita, scilicet in centuplo; tunc sicut contrarium regulariter transmutans et corrumpens aliquid in tempore medietatem corrumpit in medietate temporis, et tertiam partem in tertia parte temporis, et

sic deinceps; ergo formam, que solum exceditur in centuplo ab illa forma que corrumpitur in momento, illud agens corrumpet in centesima parte momenti; sed centesima pars momenti est tempus; ergo illa forma, que dicitur corrumpi in instanti, corrumpitur necessario in tempore. Dico ergo pro constanti quod
5 impossibile est quod due forme eiusdem speciei sic se habeant quod una corrumpatur ab aliquo agente in tempore, et alia ab eodem agente in instanti; nec est possibile quod una forma alicuius speciei consistat in indivisibili, et quod alia eiusdem speciei habeat latitudinem.

Secunda ratio ad eandem conclusionem est: illud quod corrumpitur in
10 instanti corrumpitur subito; sed corruptio subita et corruptum esse simul sunt in eadem mensura adequata; ergo si talis forma corrumpatur a suo contrario in aliquo instanti, illa forma est corrupta, et ita non est, et tamen in eodem instanti est per te, quia illud est ultimum instans in quo talis forma habet esse; ergo simul est et non est.

15 Tertio sic: corruptio unius forme est generatio alterius forme¹, ita quod generatio et corruptio vel sunt eadem mutatio vel sunt adequate in eadem mensura. Si ergo aliqua per se corruptibilis a suo contrario corrumpatur in instanti, in illo eodem instanti generatur forma contraria in eodem subiecto; cum ergo omnis mutatio que est a contrario in contrarium sit motus, sequitur
20 quod in illo instanti in quo talis forma corrumpitur erit motus, et etiam contraria simul in eodem subiecto.

Quarto sic: omnis transmutatio in non tempore est finis transmutationis in tempore per Commentatorem sexto *Physicorum*² commento 32; ergo si aliqua forma debeat corrumpi in instanti, oportet quod

¹ Cf. Arist., *De gen.*, I, 3, 318a23-25; A.A., 167, n. 7.

² Averr., *In VI Phys.*, comm. 32.

illa corruptio terminet aliquam transmutationem successivam; et sic per illam transmutationem successivam fiet corruptio, et non per mutationem subitam.

Quarta conclusio: quod dicta in responsione ad primum argumentum et ad secundum in dogmatibus non scriptis repugnant. Et pono conclusionem sub hac forma: quod sit frigidum remississimum et quod remissio forme fit per admixtionem contrarii claudunt contradictionem. Probatur dupliciter. Primo sic: si forma remittatur per admixtionem contrarii, ergo in forma remississima est maxima admixtio contrarii; ponamus ergo quod fiat transmutatio a frigido remississimo ad calidum intensum, et sit a primum instans illius transmutationis a frigido remississimo ad calidum, et sit b instans in quo est sub summo calido. Quero aut in tempore inter a et b est sub frigiditate aut sub caliditate summa vel sub caliditate remissa. Non est dare primum, quia si post a maneat frigiditas, cum calidum approximatum frigido continue remittat frigidum, sequitur quod est dare remissius remississimo. Si vero sit sub calore maximo, tunc est ante b sub calore maximo; quod est inconueniens. Si detur quod est sub calido remisso, cum calidum remissum non remittatur nisi per admixtionem frigidi, sequitur quod post a erit sub frigiditate; et ita erit dare frigiditatem remissioem frigiditate remississima.

Secundo probo eandem conclusionem sic: quero aut inter frigidum remississimum et calidum summum sit aliquod medium vel non; si detur quod non, sequitur quod a frigido remississimo ad calidum summum erit motus in instanti; quod est impossibile. Si detur quod sit medium, illud medium erit mixtum necessario ex calido et frigido, et habebit plus de calido quam remississimum frigidum et minus de frigido; et sic erit dare frigiditatem remissioem frigiditate remississima.

Quinta conclusio: quod dicta in responsione ad secundum argumentum in responsione data in scriptis repugnant. Pono conclusionem sub hac forma:

quod frigidum agat in calidum sibi approximatum, et tamen calidum non agat in frigidum claudunt contradictionem. Probatur sic: omne passum communicans in materia cum agente reagit in ipsum per Philosophum primo *De generatione*¹; ergo, cum calidum et frigidum communicent in materia,
5 dicere quod frigidum agit in calidum et non e converso est dicere quod frigidum agit in calidum, et tamen quod calidum non patitur a frigido; et ita quod frigidum agit in calidum et non agit in ipsum.

Tu dices quod agens in tempore agit, passum tamen in instanti reagit. Contra: frigidum non excedit calidum in virtute in infinitum,
10 ergo, si corrumpat ipsum, necessario agit in tempore; et hoc est manifestum ex scientia naturali.

Item, illa sunt magis contraria quorum utrumque agit in reliquum quam illa quorum alterum solum agit in reliquum; sed est dare magis calidum et minus calidum, quorum utrumque agit in reliquum, ut patet de
15 aere et igne, et aliquod calidum et aliquod frigidum sic se habent quod solum alterum agit in reliquum; ergo magis calidum et minus calidum sunt magis contraria quam calidum et frigidum. Cum ergo magis calidum et minus calidum sint eiusdem speciei, sequitur quod calidum et frigidum erunt eiusdem speciei; quod est propositum.

Sexta conclusio quod formam habere in se latitudinem et non suscipere minus nisi per admixtionem contrarii claudit contradictionem, et tamen utrumque ponit adversarius in dogmatibus non scriptis; in scriptis vero distinguit de calore et frigore: potest enim tam calor quam frigus accipi tripliciter: uno modo pro forma in summo, puta pro calore intensissimo, alio
25 modo pro calore habente latitudinem et tertio modo pro dispositione ad calorem; et eodem modo distinguitur de frigiditate. Dicit tunc quod calor in

¹ Arist., *De gen.*, I, 7, 324b9-10; A.A., 168, n. 14.

summo non potest commisceri cum frigido nec cum dispositione ad frigidum, nec calor habens latitudinem graduum existens in specie caloris potest commisceri cum frigore retinente propriam speciem frigoris; tamen calor potest commisceri cum frigore quod est dispositio ad frigus, et frigus de
5 specie frigoris cum dispositione ad calorem. Probo ergo conclusionem propositam, que est contra responsionem in non scriptis, ex qua sequitur destructio responsionis posite in scriptis.

Probatur tamen conclusio sexta sic: illud quod solum suscipit minus per admixtionem alicuius nature non habet in sua natura magis et minus; quod
10 enim habet aliquid solum ex natura extrinseca, non habet illud ex natura intrinseca; ergo dicere quod forma in natura sua habet latitudinem et magis et minus et dicere quod solum habet hoc per admixtionem contrarii, est dicere quod habet latitudinem in natura sua propria, et quod nullam habet latitudinem in natura propria.

15 Item, arguo sic secundo: accipiatur minus album; in illo per te est nigredo; illam nigredinem potest Deus separare ab albedine nihil addendo de natura albedinis nec aliquid de natura albedinis removendo. Quero ergo aut illa albedo nigredine separata sit albedo in summo vel sit albedo remissa. Si sit albedo in summo, ergo quelibet albedo in natura sua est albedo in summo,
20 et per consequens albedo in natura sua non suscipit magis et minus, cum omnes albedines in se et in propriis naturis sint equales. Si dicas quod separata nigredine albedo que remanet non est albedo in summo sed remissa, sequitur quod albedo est remissa et non per admixtionem contrarii. Ista conclusione probata probo quod responsio in scriptis data claudit
25 contradictionem.

Unde probo conclusionem septimam que ponitur sub hac forma: quod formam alicuius speciei admisceri cum aliqua dispositione ad formam

contrariam, et tamen formam in summo gradu non admisceri cum eadem dispositione claudit contradictionem. Probatur primo sic: si frigiditas de specie frigiditatis admisceatur cum dispositione ad caliditatem, aut ergo frigiditas pura admiscetur cum illa dispositione aut frigiditas mixta . Si
5 frigiditas mixta, capio illud quod est frigiditatis ibi tantum, et quero aut est frigiditas pura aut frigiditas mixta. Si mixta resolvo eam in ea ex quibus miscetur; sequitur quod vel procedetur in infinitum, quod est impossibile, vel quod frigiditas miscetur cum aliqua dispositione; et cum frigiditas pura non admiscetur cum eadem, est dicere quod frigiditas pura non admiscetur cum
10 aliqua dispositione, et tamen quod miscetur cum eadem; ubi manifesta est contradictio.

Secundo, proba eandem conclusionem sic: separet Deus a frigiditate mixta cum dispositione ad calorem illam dispositionem, conservando eandem frigiditatem omnino non addendo de natura frigiditatis nec
15 diminuendo; et quero aut est frigiditas pura, et habetur propositum; aut non est frigiditas pura, et hoc non contingit dare, eo quod omnis alia dispositio vel natura est ablata. Et istud argumentum tenet sive illa dispositio sit eiusdem speciei cum frigiditate sive cum caliditate.

Octava conclusio demonstranda est quod forma non suscipit minus per admixtionem contrarii, quia tamen oppositum huius non scribitur in quaterno adversantis, circa probationem huius conclusionis non insisto ad
20 presens.

Conclusio octava que est directe contra me tunc simul exercitantem est ista: quod non fit transitus ab albedine ad nigredinem in tempore
25 imperceptibili per omnes colores medios, quod tamen oporteret si essent species distincte. Conclusio probatur sic per Philosophum in *De sensu et*

*sensato*¹ visus immutatur in instanti. Ex hoc arguo sic: agente naturali
approximato passo in mensura in qua hoc est natum agere et illud pati,
necessario agens agit; cum ergo visus immutetur in instanti et etiam in
tempore quantumcumque parvo, sequitur quod si fiat transitus per omnes
5 colores medios in aliquo tempore quantumcumque parvo, visus
approximatus videret huiusmodi colores; et ita si aliquis respiceret capillos
cum canescunt, aliquando videret eos virides et aliquando rubeos; quod est
falsum.

Et quod dicit quod ista ratio est contra me; dico quod non, quia species
10 sunt essentialiter ordinate, sed individua eiusdem speciei non; et in
essentialiter ordinatis oportet transire omnia media essentialiter ordinata, ut
patet in generatione hominis oportet transire per formam seminis, sanguinis
menstrui et embrionis; et ideo, si colores medii distinguuntur specificice,
oportet omnes pertransire. Si autem non distinguuntur specificice sed
15 individualiter, tunc sunt accidentaliter ordinata, et talia media omnia non
contingit pertransire.

Respondens ad rationes morales et ad rationem medicinalem concedit
propositum meum, quia ponit quod absolutum in virtute et vitio est eiusdem
speciei; cum tamen manifestum est quod illud absolutum habet contrarium,
20 aliter non susciperet magis et minus; eodem modo est de sanitate et
egritudine. Auctoritates quas adducit contra me nihil concludunt, eo quod
Philosophus loquitur, videlicet ubi loquitur de ista materia, exemplariter et
secundum famositatem.

Ad duas rationes quas facit contra me. Prima est hec: querit quid
25 intelligo per remissum: vel aliquid positivum vel aliquid privativum. Si
privativum, non causat successionem; et ita fieret motus subito a magis albo

¹ Arist., *De sensu*, 3, 440a21-23.

in minus album vel in album remissum. Si positivum aut eiusdem generis aut alterius generis; si alterius generis, ergo magis et minus differrent specie, quia que differunt genere differunt specie; si eiusdem generis, aut eiusdem speciei aut non, et semper sequitur quod unum non predicatur de altero; et sic
5 remisse album non erit album. Dico quod per 'remissum' possum intelligere vel illud quod hoc nomen significat, et illud est privatio nec causat successionem; vel illud quod denominat, et illud est forma eiusdem speciei. Et concedo quod una non predicatur de altera, nam minus album non est magis album, tamen idem nomen commune, ut 'album', predicatur de
10 utroque, scilicet de magis albo et minus albo.

Alia ratio sua fuit ista: per Philosophum primo *Posteriorum*¹ si passio sit univoca, subiectum erit univocum, et si equivocata, equivocum; et si passiones sint eadem secundum speciem, subiecta erunt eadem secundum speciem. Sed calor summus est passio ignis, et hoc quando ignis non est passus; frigiditas
15 summa est passio aque non passe; ergo, si caliditas summa et frigiditas summa sint eiusdem speciei, sequitur quod ignis et aqua erunt eiusdem speciei. Respondeo quod loquendo de propria passione, que convenit cum contento sub specie et soli speciei et semper verum est, quod si passiones sint eiusdem speciei, quod subiecta erunt eiusdem speciei. Nunc autem caliditas
20 in summo non est passio propria ignis, quia non semper consequitur ignem, nec frigiditas summa semper consequitur aquam.

De hoc quod iste socius dicit quod rationes mee sunt applicabiles ad alias conclusiones, et ita non sunt proprie; ego dico quod solum sunt applicabiles ad istam materiam et ad probandum quod contraria non
25 differunt specificiter inter se nec specificiter a mediis.

¹ Arist., *Anal. Post.*, I, 4, 73a27 segg.

Et cum tu dicis quod per primam rationem probares quod medium plus distat ab extremo quam extremum ab extremo; dico quod, supposito quod extrema differrent specie inter se et a mediis, bene potest hoc probari et de necessitate sequitur ex isto impossibili supposito, scilicet quod extrema differunt specie inter se et a mediis; et non est mirum si ex uno impossibili sequatur aliud impossibile.

⟨APPENDIX⟩

10

Probavi alias contra dicta cuiusdam socii reverendi octo conclusiones, quarum prima fuit ista: quod sit dare ultimum instans forme permanentis corrumpende per alterationem et primum instans forme producende per alterationem claudunt contradictionem. Istam conclusionem probavi sic: sit a ultimum instans in quo frigiditas est in subiecto, et illi subiecto approximetur calidum; tunc per te est dare primum instans in quo inducitur calor in illo subiecto, et sit illud instans b; tunc in a instanti ultimo fuit frigidum, et certum est quod inter a et b est tempus medium, et sit illud tempus c. Quero aut in tempore c illud subiectum est calidum aut frigidum aut neutrum. Si sit frigidum, ergo a non est ultimum instans in quo est frigidum, quia post a est frigidum, cuius oppositum supponitur. Si vero in tempore c sit calidum, ergo est calidum ante b in quo primo ponitur esse calidum; quod est impossibile. Si dicatur quod in illo tempore medio nec sit calidum nec frigidum sed sub forma media; contra: idem argumentum facio de forma media, quia est dare primum instans in quo illa forma media est in subiecto, cum sit res permanens.

Item, fiat argumentum de contrariis immediatis; manifestum est quod in illo tempore medio subiectum est sub altero contrariorum immediatorum, aliter non essent immediata.

Ad istam rationem dicit dictus socius quod numquam concessit hec duo, scilicet quod est dare ultimum instans in quo res permanens corrupta per alterationem habet esse, et tamen primum instans in quo forma producta per alterationem habet esse. Sed dicit quod dixit quod quandoque contingit dare ultimum instans forme permanentis corrumpende sicut quando fit processus a gradu maximo vel minimo quiescentibus; et ideo ista ratio, ut dicit, non tangit eum. Quod autem sit quandoque dare tale ultimum instans, istud dicit se probasse ratione demonstrativa, ad quam ego nullum verbum dixi, sicut dicit. Dicit etiam quod ipse dixit quod quando est dare ultimum instans forme corrumpende, non est dare primum instans forme producende; et ideo dicit quod ratio in nullo est contra eum.

Contra istam rationem arguo. Primo, quod ipse contradicit in ista responsione dictis suis in prima replicatione sua. Supposui in prima ratione quam feci ad conclusionem meam principalem quod cuiuslibet forme producte per alterationem est dare primum instans in quo talis forma habet esse, quod probavi per hoc quod ultimum instans temporis mensurantis alterationem est primum instans in quo forma producta per alterationem habet esse. Supposui etiam quod aliquod mobile transmutetur a summo calido quousque sit sub frigido, et sic de multis aliis suppositionibus. Ultimo supposui quod rei corrumpende per alterationem non est dare ultimum instans in quo talis res habet esse. Et tunc feci rationem, ut patet in primis fundamentis huius opinionis.

Iste socius huic rationi respondendo in prima evasione sua dicit quod hec ratio est contra me; et respondendo dicit hec verba: «respondeo ergo ad

argumentum pro ipso et pro me, et concedo suppositiones suas omnes usque ad istam, cum accipit quod non contingit dare ultimum esse frigidi; tunc accipio». Ista fuit ultima suppositio mea, scilicet quod non contingit dare ultimum instans in quo res permanens habet esse, verbi gratia non contingit dare ultimum instans esse frigidi. Istam suppositionem negat et omnes alias concedit. Sed prius fuit suppositum et demonstratum quod cuiuslibet rei permanentis producte per alterationem est dare primum instans in quo habet esse, quia omnes suppositiones meas preter ultimam concessit; et nunc negat istud idem, ideo expresse contradicit sibi.

Ad rationem demonstrantem quod cuiuslibet rei permanentis producte in esse per alterationem sit dare primum instans in quo habet esse nullum verbum dicit, nec dicere potest. Ratio huius demonstrans fuit ista: cuiuslibet temporis mensurantis alterationem est dare ultimum instans illius temporis, quia omne tale tempus est finitum; sed in ultimo instanti temporis mensurantis alterationem terminus alterationis habet primo esse; terminus autem alterationis est res producta in esse per alterationem; ergo quelibet res producta in esse per alterationem habet primum instans sui esse, quia ultimum instans temporis mensurantis alterationem est primum instans in quo terminus alterationis habet esse; alias alterabile moveretur ad formam quam habet, quod est impossibile.

Si vero iste socius vel alius quicumque dicat quod forma sequens non producitur in esse per alterationem precedentem; contra: inter ultimum esse frigidi et esse cuiuslibet forme contrarie sequentis est tempus medium, in quo tempore medio est calidum approximatum frigido; sed impossibile est calidum et frigidum esse approximata per tempus in dispositione in qua hoc est natum agere et illud pati quin unum agat in reliquum alterando ipsum;

ergo quelibet caliditas sequens ultimum esse frigidi acquiritur per alterationem precedentem.

Si dicatur quod aliqua forma sequens acquiritur subito, ita quod inter ultimum esse frigidi et esse alicuius forme sequentis non est aliquod tempus
5 medium; contra: illa forma tunc acquireretur subito, et sic in instanti; sed cuiuslibet forme subito inducte est dare primum instans in quo habet esse; ergo esset dare primum instans in quo forma sequens habet esse.

Secundo, arguitur contra responsionem suam sic: iste socius dat mihi minimum frigidum et minimum calidum; tunc arguo: si mobile debeat
10 transmutari de minimo seu remississimo frigido ad calidum, prius deveniet ad minimum calidum quam ad calidum intensius, quia minimum calidum est medium inter remississimum frigidum et calidum intensius minimo calido. In aliquo ergo instanti illud mobile est sub remississimo frigido et in aliquo instanti posteriori est sub remississimo calido; sit ergo a instans in quo est sub
15 remississimo frigido et b instans in quo est sub remississimo calido; quero ergo utrum istud mobile fuerit ante b sub calido vel non. Si detur quod non, habetur propositum, quod sicut est dare ultimum instans forme precedentis, quod ita est dare primum instans forme sequentis. Si detur quod ante b fuit sub calido, cum mobile continue post a calefiat, ita quod continue post a sit
20 magis et magis calidum, sequitur quod ante b fuit sub remissiori caliditate quam in b; et ita esset dare remissius remississimo.

Tertio, arguo contra dictam responsionem sic: illud quod non est sub specie nisi quia sub aliquo individuo speciei, si sine medio sit sub specie, sine medio erit sub aliquo individuo speciei; sed istud mobile transmutatum de
25 frigido in calidum post a instans sine medio erit sub calore, quia si esset medium inter ultimum esse frigidi et esse mobilis sub calore, in illo medio nec esset sub calido nec sub frigido; et sic calidum et frigidum non essent

contraria immediata, cuius oppositum est suppositum, quia volo arguere in contrariis immediatis. Istud ergo mobile statim post a sine medio erit sub calore; ergo sine medio est sub aliquo individuo caloris; sed illius individui caloris sub quo mobile immediate erit est dare primum instans sui esse; ergo
5 est dare primum forme sequentis.

Quarto, arguo ad idem sic: ista responsio, scilicet quod est dare ultimum frigidi et non primum calidi, concedit propositum principale, scilicet quod calidum et frigidum sunt eiusdem speciei specialissime. Quod probo sic: inter frigidum remississimum et calidum non est aliquod medium nec
10 secundum speciem nec secundum magis aut minus, quia si esset medium oportet illud medium pertransire antequam deveniret ad calidum; et sic non esset statim post ultimum esse frigidi sub calido; sed inter frigidum intensum et frigidum remissum sunt infiniti gradus medii. Ex hiis arguo sic: si illa que magis distant formaliter sint eiusdem speciei, et illa que minus distant
15 formaliter erunt eiusdem speciei; sed frigidum intensum et frigidum remissum magis distant formaliter quam frigidum remississimum et calidum distent. Cum ergo frigidum intensum et frigidum remissum sint eiusdem speciei, sequitur quod multo magis frigidum remississimum et calidum erunt eiusdem speciei. Maior est manifesta, et minor probatur, quia illa magis
20 distant formaliter inter que sunt infinita media, scilicet infiniti gradus, quam illa inter que nec est aliqua forma media nec aliquis gradus medius; sed inter frigidum remississimum et calidum nihil est medium, cum sint immediata; inter frigidum intensum et frigidum remissum sunt infinita media; ergo etc.

De hoc vero quod iste socius dicit, quod ego nullum verbum respondi
25 ad rationem probantem quod est dare ultimum instans in quo remississimum frigidum et intensissimum frigidum habent esse; dico quod ego non do nec umquam dabo frigidum remississimum nec calidum remississimum; ideo

ratio de remississimo non est contra me. Nec ego volo respondere ad illa que non sunt contra me.

Si vero velis arguere de calidissimo vel frigidissimo cui approximetur contrarium: in primo instanti approximationis est calidissimum vel
5 frigidissimum et numquam postea erit, ergo est dare ultimum instans in quo res permanens habet esse. Huic rationi non contradico, immo, quod plus est, concedo quod cuiuslibet individui speciei habentis latitudinem et suscipientis magis et minus est dare ultimum instans sui esse, scilicet esse individui, quia
10 quilibet gradus variat individuum, tamen non est dare ultimum instans in quo forma specifica habet esse, sed semper est dare primum instans in quo talis forma secundum speciem habet esse, et non est dare ultimum instans esse speciei. Et hec est intentio Philosophi octavo *Physicorum*¹; et hec est intentio Commentatoris quinto *Physicorum*² commento 22 super illud Philosophi «medium est in quo continue» etc., ubi in nostra translatione
15 habetur «medium est in quod continue mutans prius devenit quam in ultimum», in textu quem exponit Commentator ubi nos habemus «medium» habet loco «medii» «inter», ubi dicit Commentator sic «inter est in quod transmutatum transmutetur primo, antequam transmutetur in illud in quod transmutatur postremo»³: verbi gratia si motus fuerit in loco, 'inter' erit
20 locus ad quem motus movetur, similiter si motus fuerit in qualitate, tunc 'inter' erit prima qualitas ad quam transmutatum transmutatur; sed istud non potest intelligi de primo secundum numerum, nam non est dare locum immediatum loco nisi superficies esset immediata speciei in continuo, sicut patet per Commentatorem sexto *Physicorum*⁴ commento 32, et
25 exemplificat in motu locali et in motu alterationis. Igitur in alteratione est

¹ Arist. *Phys.*, VIII, 8, 263b9 segg.

² Averr., *In V Phys.*, comm. 22.

³ Averr., *In V Phys.*, comm. 22 (ARISTOTELES 1560, 180E-F).

⁴ Averr., *In VI Phys.*, comm. 32.

dare primum secundum speciem, et ita, si fiat motus a frigido in calidum, est dare primum in quo est sub calido. Quod tamen adversarius negat.

Quando autem et in quibus formis est dare primum vel ultimum et in quibus non, patet in primo *Quolibet* meo Tholose¹ determinato questione qua
5 queritur an sit dare ultimum instans in quo res permanens habet esse. De hoc Commentator expresse.

Alii multo subtiles dicunt ad primam rationem principalem quod si fiat transmutatio a calido in frigidum, est dare primum instans in quo transmutabile est sub frigiditate; et si postea fiat transmutatio e contrario a
10 frigido in calidum, [non] est dare ultimum in quo transmutabile est sub frigiditate. Et quando accipiebatur quod tunc existens sub frigiditate erit propinquius summo calido quam erat aliquando prius, quando erat sub caliditate; dicunt quod non est verum, quia propinquitas formalis est propinquitas quidditativa seu specifica; similiter distantia formalis est
15 distantia specifica, et ideo numquam erat frigidum propinquius propinquitate formali summo calido quam calidum in quocumque gradu quantumcumque parvo. Tamen frigidum sub aliquo gradu potest esse propinquius gradualiter calido summo quam calidum in gradu aliquo. Contra: probo quod distantia formalis de qua Philosophus loquitur decimo
20 *Metaphysice*², ubi dicit quod contraria maxime distant, non est distantia specifica; et hoc probo per sex rationes. Primo sic: summum calidum et summum frigidum plus distant quam calidum remissum et frigidum remissum, sed non distant plus specificè vel quidditative; igitur distantia formalis qua contraria distant non est distantia specifica. Minor huius rationis
25 est de se manifesta. Probo maiorem: nam illa que sunt magis contraria magis

¹ BURLAEUS, *De primo et ultimo instanti*, SHAPIRO, SHAPIRO 1965, 159-163.

² Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243; 7, 1057b1 segg.

distant formaliter, ex quo contrarietas est distantia formalis; sed summum calidum et summum frigidum sunt magis contraria quam calidum remissum et frigidum remissum; ergo etc. Probatio minoris: Philosophus secundo *De anima*¹ querit an alimentum sit contrarium rei alende vel simile, et respondet
5 quod alimentum in principio augmentationis vel mutationis est contrarium, et postea est minus contrarium et magis simile, et in fine est omnino simile. Ex quo apparet quod magis frigidum magis contrariatur calido quam minus frigidum, quia alimentum est magis frigidum in principio quam in medio motus, cum continue alteretur a calido; et per consequens summum calidum
10 et summum frigidum sunt magis contraria quam calidum remissum et frigidum remissum. Hec ratio potest confirmari sic: summum calidum magis contrariatur remisso frigido quam calidum remissum contrarietur frigido remisso; ergo plus distant formaliter, et tamen non specificice; ergo etc. Probatio antecedentis: nam actio est ratione contrarietatis, ut patet ex primo
15 *De generatione*²; sed summum calidum magis et vehementius agit in frigidum remissum quam calidum remissum agat in illud, quia citius destruit ipsum; et per consequens magis contrariatur sibi, et tamen non plus distat specificice.

Secundo, arguo sic: contraria mediata, verbi gratia albedo et nigredo, plus distant formaliter quam contraria immediata, ut quam gravitas et levitas
20 sive ut sanitas et egritudo, et tamen non plus distant specificice; ergo distantia formalis non est distantia specifica. Probatio assumpti: nam illa plus distant formaliter inter que est medium secundum formam quam illa inter que nullum est medium secundum formam; sed inter contraria mediata est medium secundum formam, inter contraria immediata non; ergo etc. Hec
25 ratio confirmatur sic: contraria immediata sunt diversa secundum speciem, et

¹ Arist., *De anima*, II, 4, 416a30 segg.

² Arist., *De gen.*, I, 7, 323b30 segg.

tamen non distant formaliter; ergo diversitas specifica non est diversitas seu distantia formalis. Probatio assumpti: nam illa que sunt propinqua summa propinquitate nullo modo distant; nam distantia et propinquitas sunt contraria, et unum contrarium in summo non permittit secum suum
5 contrarium in aliquo gradu; sed contraria immediata sunt propinqua summa propinquitate, quia impossibile est quod aliqua sint magis propinqua quam immediata; ergo etc.

Sed dicetur: omnia contraria distant formaliter secundum Philosophum, ergo contraria immediata distant formaliter. Dico quod contraria distant
10 formaliter ratione graduum summorum in eis, unde contraria maxime distant, quia gradus summi contrariorum maxime distant, et inter summos gradus contrariorum sunt infinita media. Unde inter species contrarias immediatas, supposito quod contraria differrent specie, non est distantia nisi ratione suorum individuorum, et inter quecumque individua contrariorum
15 immediatorum sunt multa media.

Tertio, arguo sic: in omni motu regulari pertransitur medietas distantie inter terminos motus in medietate temporis mensurantis motum, ut patet: aliter non esset motus regularis; si igitur aliquod mobile moveatur regulariter a gravitate in levitatem, in medio motus est propinquior termino motus quam
20 in principio, et tamen non est propinquius quidditative vel specificice; igitur distantia que est inter terminos motus ratione cuius attenditur successio in motu non est distantia specifica.

Quarto sic: extrema magis distant formaliter quam medium et extremum, ut patet per Philosophum secundo *Ethicorum*¹, et tamen non
25 distant magis specificice; ergo etc.

¹ Arist., *Eth.*, II, 7, 1106a26, segg.

Quinto sic: per Philosophum quinto *Physicorum*¹ in eadem specie est contrarietas, nam magis album et minus album sunt contraria; igitur in eadem specie est distantia formalis; et certum est quod in eadem specie non est distantia specifica; ergo etc.

5 Sexto sic: aliqua distant quidditative et specificice, et tamen non distant formaliter, loquendo de distantia formali de qua loquitur in decimo *Metaphysice*²; ergo distantia formalis et distantia quidditativa non sunt idem. Probatio antecedentis: nam species diversorum predicamentorum distant quidditative, et non distant formaliter secundum Philosophum in decimo
10 *Metaphysice*³, ubi dicit quod contrarietas est diversitas eius quod distat secundum formam, et ita est in illis que sunt in eodem genere tantum. Et Commentator exponens istam litteram dicit sic et est commento 24⁴: diversitas secundum formam non invenitur inter illa que non sunt in eodem genere, et causa in hoc est quia contrarietas est diversitas secundum formam,
15 «et diversitas secundum formam est diversitas secundum contrarietatem», et contraria semper sunt in eodem genere. Dico igitur quod distantia formalis de qua Philosophus loquitur in decimo *Metaphysice* est distantia inter gradus contrariorum, et maxima distantia formalis est inter summos gradus contrariorum, et ideo dicit Philosophus decimo *Metaphysice*⁵ quod distantia
20 contrariorum est maxima et perfecta; maxima quia est illa cui non fit additio; perfecta, quia est extra quod nihil; sed hec additiones non conveniunt nisi gradibus summis contrariorum.

Secunda conclusio quam contra dictum socium, ut existimo, demonstravi fuit ista: quod non est dare remississimum calidum supposito

¹ Arist., *Phys.*, V, 2, 226b1 segg.

² Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243; 7, 1057b1 segg.

³ Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243; 7, 1057b1 segg.

⁴ Averr., *In X Metaph.*, comm. 24.

⁵ Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; 7, 1057b1 segg.

quod calor et frigus sint species distincte. Istam conclusionem probavi sic: si est dare remississimum calidum et aliquod hoc intendens, dicit iste socius: «concedatur». Tunc arguo: volo quod aliquod subiectum, puta p, transmutetur a frigido intenso quousque sit sub remississimo calido. Ad hoc
5 respondet socius dicens: «volo sit ita». Tunc ulterius arguo: inter frigidum intensum et calidum remississimum frigidum remississimum est medium; ergo antequam veniet ad calidum remississimum veniet ad frigidum remississimum vel saltem possibile est quod transmutetur a frigido intenso ad calidum remississimum per frigidum remississimum tamquam per
10 medium. Ad quod respondet dictus socius: «sit ita». Tunc arguo ultra: in uno igitur instanti erit p sub frigiditate remississima, et in alio instanti erit sub caliditate remississima; sit igitur a instans in quo est sub frigiditate remississima, et b instans in quo est sub caliditate remississima; tunc quero: in tempore medio inter a et b aut p est sub frigiditate aut sub caliditate. Si sub
15 frigiditate, cum continue tunc, dum manet frigiditas, remittitur ipsa frigiditas, quia continue transmutatur versus calidum, ut supponitur, sequitur quod p in illo tempore medio erit sub frigiditate remissiori quam in a; et sic erit remissius remississimo; quod est impossibile. Si vero detur quod in illo tempore medio sit sub calido, cum continue crescat calor, sequitur quod in b
20 erit calidius quam in illo tempore medio, et ita in b non erit caliditas remississima; et si sic, oporteret dare remissius remississimo. Et fiat idem argumentum de forma media, et fiat argumentum de contrariis immediatis; et est demonstratio.

Huic rationi dicit iste socius sic: «dico quod si alteratio precedit, non erit
25 dare instans in quo ultimo habeat esse sub frigiditate remississima, sed erit dare instans in quo primo erit sub caliditate remississima. Et ita tenet

probatio Philosophi in octavo *Physicorum*¹, et ita deductio quam facit iste socius in ratione sua de tempore medio inter duo instantia non concludit, quare non valet ratio secunda»; ista sunt verba. Sed certum est quod nihil ipse respondet, nec est possibile alicui respondere, quia est demonstratio certissima: suppositum enim erat et concessum quod p mobile debet transmutari ab intenso frigido ad remississimum calidum per frigidum remississimum tamquam per medium; et quod p erat in uno instanti sub frigiditate remississima et in alio instanti sub caliditate remississima; hoc est concessum. Et certum est quod alteratio aliqua precedit frigidum remississimum contrarium «et quod» agens est continue approximatum frigido. Volo tunc quod a sit instans in quo p est sub frigiditate remississima, et quero utrum p post a sit sub frigiditate remississima aut non. Si detur quod numquam post a erit sub frigiditate remississima, sequitur quod a est ultimum instans in quo est sub frigiditate remississima, et tamen alteratio precedit; igitur est dare ultimum instans frigidi remississimi, quando alteratio precedit, cuius contrarium iste socius dicit. Si vero detur quod post a instans p erit sub frigiditate remississima, sequitur quod p quiescet sub frigiditate remississima; et tunc sequitur quod calidum erit approximatum frigido debilissimo minimam potentiam resistivam habenti approximatione debita per tempus, et tamen non aget in ipsum, sed in toto illo tempore est frigidum sub eodem gradu, quia sub gradu remississimo; quod est impossibile et contra Philosophum decimo *Metaphysice*². Et hanc rationem dicit dictus socius in prima replicatione esse demonstrativam ad probandum quod est dare ultimum instans in quo frigidum remississimum habet esse, aliter agens naturale esset approximatum passo per tempus approximatione debita et

¹ Arist. *Phys.*, VIII, 8, 263b9 segg.

² Arist., *Metaph.*, X, 5, 1055b37.

nihil ageret in passum, quod est impossibile. Et ego dico cum eo quod hec est demonstratio sibi et mihi et omni intellectui bene disposito, quod si sit dare frigidum remississimum, quod erit dare ultimum instans in quo frigidum remississimum habet esse sive alteratio precedat sive non, quia aliter per
5 tempus contrarium intensum esset approximatum contrario remisso et non ageret in ipsum. Valeat igitur ista demonstratio contra eum, nec laboret ulterius in vanum ad solvendum ultra vires cuiuslibet intellectus.

Quidam multum intelligentes videntes quod ponendo remississimum calidum et remississimum frigidum, et sic de aliis formis suscipientibus
10 magis et minus, impossibile est evadere rationem istam nisi vel ponendo quod contradictoria sint simul vera in eodem instanti temporis vel ponendo quod instans est immediatum instanti vel quod agens naturale approximatum passo in mensura in qua hoc est natum agere et illud pati, non ageret nec passum pateretur, quorum quodlibet est impossibile, rogaverunt
15 ut probarem quod supposito quod contraria differant specie, quod oportet ponere minimum seu remississimum. Ideo probo istud sic: supposito quod contraria differant specificè, probatur hoc quod est dare remississimum seu minimum utriusque contrariorum. Quandocumque est motus ab una forma specifica ad aliam differentem secundum speciem, est dare primum instans
20 in quo est sub forma posteriori, ut patet per Philosophum octavo *Physicorum*¹; nam est dare unum tempus totum in quo est sub forma priori, et unum tempus in quo est sub forma posteriori; sed cum in instanti continuante illa duo tempora ad invicem est sub forma posteriori, sicut dicit Philosophus expresse et superius in prima ratione principali est liquide declaratum, quero
25 tunc aut forma sub qua est mobile in primo instanti in quo est sub forma posteriori sit remississima illius forme posterioris, aut non. Si detur quod sic,

¹ Arist. *Phys.*, VIII, 8, 263b9 segg.

habetur propositum, quod talis species habet remississimum seu minimum. Si
detur quod non, tunc illa species habet individuum remissius; cum igitur
individuum remississimum sit medium inter formam priorem et individuum
forme posterioris non remississimum, et impossibile est transire ab extremo
5 ad extremum nisi fiat transitus per medium, «sequitur» quod mobile ante
illud instans primum fuit sub forma posteriori, quia sub forma remissiori
speciei posterioris; et ita non esset dare primum instans forme specificae
posterioris, quod est contra Philosophum. Si vero detur quod illa forma
acquisita in primo instanti in quo mobile est sub forma posteriori, non est
10 remississima forma illius speciei, nec propter hoc oportet quod mobile prius
fuerit sub forma remissiori nec oportet transire omnia media. Contra: si istud
detur, posset esse transitus ab una specie ad intensissimum gradum alterius
speciei non pertranseundo aliquam formam remissam forme posterioris,
quod videtur impossibile. Consequentia patet, quia qua ratione non oportet
15 transire unum medium, non oportet transire aliquod medium eiusdem
rationis.

Item, quamvis esset possibile transire ab extremo in extremum non
pertranseundo medium aliquod, quod tamen est impossibile; possibile tamen
est transire ab extremo ad extremum pertranseundo omnia media eiusdem
20 rationis. Ponamus igitur quod mobile pertranseat a calido in frigidum per
omnia media; tunc est dare primum instans in quo est sub frigiditate; aut
igitur illa frigiditas est remississima, et tunc habetur propositum; aut non est
remississima, et tunc frigiditas remissior erit medium per quod transivit, et
sic prius fuit sub frigiditate remissiori; et ita non est dare primum instans in
25 quo est sub frigiditate.

Item, transiens ab extremo in extremum motu regulari in medietate temporis pertransit medietatem distantie inter extrema; et per consequens in toto tempore pertransit totam distantiam; et ita pertransit omnia media.

Item Philosophus secundo *De anima* «omnium natura constantium»¹ etc.

5 Iste rationes demonstrant supposito quod contraria non possunt simul misceri, quod demonstrabitur ratione in tractatu sequenti.

Tertia conclusio quam probavi fuit ista: quod impossibile est dare formam corruptibilem per se per actionem contrarii corrumpi in instanti, ita quod non sit dare ultimum instans in quo talis forma habet esse. Istam
10 conclusionem probavi quadrupliciter. Primo sic: cuiuslibet speciei suscipientis magis et minus habentis contrarium est dare aliquam formam habentem latitudinem, que forma non potest corrumpi a suo contrario nisi in tempore, ut patet per adversantem qui distinguit de formis: nam quedam
15 habet latitudinem, ut calor, frigus non in summo nec in infimo, et quedam consistunt in indivisibili, ut remississimum calidum et remississimum frigidum. Tunc arguebam sic: impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei quarum una corrumpitur ab aliquo agente in instanti, et alia non
20 potest corrumpi ab eodem agente nisi in tempore; sed cuiuslibet speciei suscipientis magis et minus et habentis contrarium est dare aliquod individuum quod a suo contrario non potest corrumpi nisi in tempore, ut patet de calore et frigiditate; ergo impossibile est quod aliqua forma habens
25 contrarium suscipiens magis et minus corrumpatur a suo contrario in instanti. Minor huius rationis patet ex dictis; et maior probatur, quia impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei, quarum una excedit aliam in virtute resistiva in infinitum; sed illa forma que non corrumpitur ab aliquo agente nisi in tempore excedit in virtute resistiva in infinitum illam

¹ Arist., *De anima*, II, 4, 416a16-17; A.A., 181, n. 87

formam que corrumpitur ab eodem agente in instanti, et hoc si sint forme eiusdem rationis, quia que est proportio measure ad mensuram in quibus ille forme corrumpuntur ab illo agente, talis est proportio virtutis unius forme corrumpende in tempore ad virtutem alterius forme corrumpende in instanti
5 ab eodem agente; sed temporis ad instans nulla est proportio; ergo forme corrupte ab agente in tempore ad formam corruptam ab eodem agente in instanti nulla est proportio; sed cuiuslibet virtutis finite ad aliam virtutem finitam eiusdem rationis est aliqua proportio; ergo etc.

Huic rationi respondet dictus socius sic: «dico quod possibile est quod
10 aliqua realitas alicuius individui alicuius speciei corrumpi posset ab aliquo agente in instanti, et tamen totum individuum cuius potest esse pars non potest corrumpi nisi in tempore. Et ad probationem istius propositionis, cum dicitur impossibile est quod sint due forme eiusdem speciei quarum una excedit aliam in infinitum in virtute resistiva vel activa; ad istam
15 propositionem dico quod in individuo alicuius speciei est dare talem realitatem que cum aliqua alia eiusdem speciei in toto existentes causant vel habent virtutem resistivam vel activam respectu alicuius agentis, que tamen realitates per se sumpte una sine altera non habent actualem resistantiam respectu eiusdem agentis; et totum illud individuum comparatum ad
20 aliquam partem eius non habet aliquam proportionem seu resistantiam actualem; quare non valet illa ratio. Per idem respondetur ad secundam probationem illius conclusionis; si autem acciperetur pars habens resistantiam actualem per se sumptam respectu eiusdem agentis, sic esset vera propositio. Non oportet autem quod omnis pars signabilis in toto
25 habeat per se sumpta aliquam resistantiam, quare non valet ratio prima nec secunda probatio, que super hoc fundatur». Et positum fuit exemplum de puncto, qui est realitas existens in linea, nullam commensurationem habens

ad ipsam lineam. Contra istam responsionem arguo primo sic: illa forma que per se sumpta non habet resistantiam actualem potest manere per tempus in subiecto, quia per te est minima sub qua subiectum potest quiescere; sed omnis forma existens in materia per tempus habet resistantiam actualem; et
5 tunc demonstrat argumentum ut tu concedis. Probatio assumpti: quia omnis forma talis continue debilitatur, et ita resistit debilitanti actualiter; quod probo dupliciter. Primo, quia omnis talis forma materialis habet certam peryodum ultra quam non potest durare per Philosophum secundo *De generatione* et primo *Celi et mundi*¹, sed hoc non esset nisi talis forma continue
10 debilitaretur. Probatio: ponamus quod peryodus talis forme quiescentis non habentis resistantiam actualem, ut tu dicis, habeat peryodum, et sit peryodus eius una dies sive 24 hore; si dicas quod talis forma non debilitatur continue, ponamus quod illa forma in prima parte diei que est sua peryodus, scilicet in primo momento illius diei, non debilitaretur; tunc in fine illius momenti est
15 tante virtutis quante fuit in principio illius momenti; ergo in fine illius momenti potest tantum durare quantum potuit in principio illius momenti; sed in principio illius momenti potuit durare per unam diem naturalem, scilicet per 24 horas; ergo in fine illius momenti potest adhuc durare per 24 horas post finem illius momenti; et per consequens in principio illius
20 momenti potuit durare per 24 horas et unum momentum; ergo 24 hore non erant tota peryodus illius forme. Consequens est falsum, quia oppositum supponitur; ergo illud ex quo sequitur est falsum, scilicet quod illa forma non debilitatur continue. Cum igitur omnis forma que continue debilitatur et manet resistit debilitanti, aliter corrumperetur in instanti, sequitur quod illa
25 forma data habeat aliquam resistantiam actualem.

¹ Arist., *De gen.*, II,10, 336b10-15; A.A., 170, n. 46; *De coelo*, I, 10, 270b17-18; A.A., 162, n. 34.

Secundo, apparet idem sic: illa forma data est in continuitate sibi contrario et dissimili, ergo continue debilitatur, et tamen manet per tempus, sequitur quod resistit; ergo etc.

Item, arguo secundo contra hoc quod dicitur quod illa forma per se non
5 habet resistantiam actualem, tamen cum alia eiusdem speciei habet. Contra:
accipio duo corpora habentia frigiditatem remississimam, et sint a et b, et
continuentur ad invicem; tunc, quamvis a non habeat per se resistantiam,
tamen totum aggregatum habet per se resistantiam. Volo tunc quod agens
contrarium aggregato ex a et b approximetur ei secundum calidum, et volo
10 quod agat in totum a simul, ita quod totum a sit primum in quod agit; et sit c
instans in quo facta est approximatio. Tunc quero aut a corrumpitur in
instanti vel in tempore: non est dare quod in tempore, quia si a duraret per
tempus contrario approximato, cum contrarium continue remittat
frigiditatem eius, sequitur quod a foret post c minus frigidum quam prius; et
15 ita esset dare remissius remississimo. Si vero detur quod a corrumpetur in
instanti, ita quod numquam maneat post c, quero a te: aut b corrumpetur in
eodem instanti aut in alio, ita quod sit idem ultimum instans esse ipsius a et
ipsius b, vel aliud et aliud. Si tu dicas quod est idem instans, ergo sicut a per
se non habuit resistantiam actualem, ita nec aggregatum ex a et b habet
20 resistantiam actualem; et ita possum arguere ex aggregato ex tribus vel
quatuor minimis; et ita sequitur quod si pars non habeat resistantiam
actualem, quod totum non habebit resistantiam actualem. Si vero detur quod
non est idem ultimum instans in quo a habet esse et in quo b habet esse, ergo
est dare aliud instans ultimum in quo b habebit esse et sit d; tunc inter c et d
25 cadit tempus medium, et b manet per illud totum tempus medium, et tamen
contrarium est sibi approximatum, scilicet illud in quod a est corruptum; ergo
b quod fuit frigidum remississimum habet resistantiam actualem. Dicere ergo

quod totum habet resistantiam actualem et quod pars nullam resistantiam habeat est dare impossibilia.

Tertio, arguo ad idem sic: illud quod non habet resistantiam est indivisibile secundum resistantiam; sed indivisibile eo modo quo est
5 indivisibile additum indivisibili non facit maius¹; ergo si remississimum sit indivisibile secundum resistantiam, sequitur quod duo remississima non habebunt resistantiam, ergo etc.

Quarto, apparet idem sic: virtus resistiva totius dividitur secundum divisionem sui subiecti ita quod, sicut totum est in toto, ita pars est in parte;
10 ergo si in toto sit virtus resistiva, sequitur quod in parte erit virtus resistiva; et ita remississimum habebit aliquam resistivam virtutem; quod tu negas.

Item, quod sint aliquae due forme eiusdem speciei non habentes proportionem adinvicem in perfectione vel entitate est impossibile, quia sic una excederet aliam in infinitum et esset infinite perfectionis; sed perfectio et
15 entitas forme habentis contrarium est sua virtus resistiva; ergo impossibile est dare quod sint due forme eiusdem speciei quarum una habet virtutem resistivam et secundum illam virtutem non habeat aliquam proportionem ad aliam formam eiusdem speciei. Quod autem iste socius dicit de linea et puncto, nihil est ad propositum, quia certum est quod punctus non est
20 individuum de specie lineae, quia punctus se habet ad lineam sicut linea se habet ad superficiem; sicut enim linea est terminus superficiei, ita punctus est terminus lineae; sed certum est quod linea non est de specie superficiei; ergo nec punctus erit de specie lineae.

Aliam rationem feci ad istam conclusionem que fundatur super hoc:
25 supponatur quod forma que corrumpitur in tempore corrumpatur ab agente regulariter corrumpente; et ponamus quod illud minimum quod tu ponis

¹ Cf. Averr., *In VI Phys.*, comm. 2.

corrumpi in instanti sit centesima pars illius forme que corrumpitur in tempore; tunc illud minimum corrumpetur in centesima parte temporis; sed quelibet pars temporis est tempus; igitur illud minimum corrumpetur in tempore et non in instanti. Ad istam rationem nullum verbum respondet socius sepe dictus.

Secunda ratio ad conclusionem tertiam fuit ista: illud quod corrumpitur in instanti corrumpitur subito; sed corruptio subita et corruptum esse sunt simul; ergo si illa forma corrumpatur in ultimo instanti sui esse, tunc in illo instanti illa forma est corrupta, et ita in illo instanti illa forma non est, et per te in illo instanti illa forma est; ergo simul est et non est. Huic rationi respondet dictus socius quod corruptio subita potest accipi vel pro inceptio corruptionis vel pro corrupto esse, et accipiendo uniformiter verum est quod illud quod corrumpitur in instanti corrumpitur subito, et ponit expositiones anglicanas de incipere et desinere, que non sunt ad propositum, et propter hoc circa eas non insisto. Sed arguo sic: forma que corrumpitur per se a contrario subito corrumpitur aliqua corruptione que est mutatio terminata ad non esse illius forme, que quidem mutatio recipitur in transmutabili ab agente transmutante; et illa mutatio est subita mensurata instanti secundum adversarium. Quero tunc in quo instanti illa mutatio subita terminata ad non esse illius forme, scilicet frigiditatis remississime, est in subiecto: vel est in subiecto in instanti in quo talis forma habet esse, vel in aliquo instanti posteriori. Si illa mutatio sit in ultimo instanti in quo illa forma habet esse, cum mutatio subita et terminus mutationis sint simul, sequitur quod in illo instanti illa forma habet non esse; et per te illa forma habet esse; ergo in eodem instanti illa forma est et non est. Si vero dicatur quod illa mutatio subita est in aliquo instanti posteriori, oportet quod inter illud instans et ultimum instans in quo ponitur talis forma habere esse sit tempus medium;

cum ergo illa forma semper maneat usque ad corruptionem terminatam ad suum non esse, sequitur quod illa forma manebit post ultimum instans sui esse, quod est impossibile; ergo non est dare quod illa forma habeat ultimum instans sui esse. Si autem dicatur quod ista ratio est contra me, ego rogo et
5 supplico quantum possum quatenus predictus socius solvat pro ipso et pro me, quia sine dubio ego non sufficio. Secundum veritatem ratio non est contra me, sicut videbitur in finali discussione huius conclusionis.

Tertia ratio ad tertiam conclusionem fuit ista: corruptio unius forme est generatio alterius forme, ita quod generatio et corruptio vel sunt eadem
10 mutatio vel sunt simul adequate in eadem mensura. Si ergo aliqua forma per se corruptibilis a suo contrario corrumpatur in instanti, in eodem instanti generabitur forma contraria in eodem subiecto. Cum ergo omnis mutatio que est a subiecto in subiectum sit motus, sequitur quod in illo instanti in quo talis forma corrumpitur erit motus; et etiam contraria simul in eodem
15 subiecto. Respondet dictus socius: «concedo quod generatio et corruptio mensurantur in eodem instanti». Et cum dicitur quod tunc erit motus in instanti, dicit respondendo sic: «dico quod aliquam alterationem bene contingit esse velocem, videlicet quando est a realitate contrarii non potente per se resistere vel a privatione, et talis non est motus, quare, non valet».
20 Contra: nihil est responsum, quia omnis mutatio que est a contrario in contrarium est motus secundum Philosophum in quinto *Physicorum*¹; sed in instanti per te est mutatio a contrario in contrarium, ergo in instanti erit motus.

Item, sequitur quod contraria sunt simul in eodem subiecto, quia per te
25 corruptio unius forme et generatio forme contrarie sunt in eodem instanti in subiecto; sed illa generatio que mensuratur in instanti est generatio subita; et

¹ Arist., *Phys.*, V, 2, 226b2-3; A.A., 153, n. 157.

quando mutatio subita est, tunc est terminus mutationis; ergo in illo instanti in quo generatio subita est, forma contraria est inducta et eodem instanti est forma corrumpenda in subiecto, quia per te forma corrumpitur in ultimo instanti sui esse; ergo forme contrarie sunt simul in eodem subiecto.

5 Quarta ratio ad conclusionem tertiam fuit ista: omnis transmutatio in non tempore est finis transmutationis in tempore secundum Commentatorem sexto *Physicorum*¹, igitur si remississimum corrumpitur in non tempore, oportet quod aliqua transmutatio mensurata tempore precedat. Huic respondet quando dicitur omnis transmutatio in non tempore est finis
10 transmutationis in tempore, dicit: «concedo ubi alteratio precedit». Sed istud non valet, quia hoc est idem dicere quod transmutatio in non tempore est finis transmutationis in tempore, ubi transmutatio in non tempore est finis transmutationis in tempore. Unde Commentator concedit eam universaliter, et dicit quod omnis transmutatio in non tempore est transmutatio per
15 accidens, quia non est transmutatio nisi quia est finis transmutationis in tempore. Probo tamen propositionem sic: omne factum esse precedit fieri et omne mutatum esse mutari secundum Philosophum sexto *Physicorum*², unde omne mutatum esse est finis motus, et hoc est manifestum per se; sed mutatio subita et mutatum esse vel sunt idem omnino vel semper sunt simul; ergo,
20 cum omne mutatum esse sit finis motus, sequitur quod omnis mutatio subita est finis motus.

Quarta conclusio quam contra predictum socium probavi fuit ista: quod sit frigidum remississimum et quod remissio forme fit per admixtionem contrarii claudunt contradictionem. Probatur dupliciter. Primo sic: si forma
25 remittatur per admixtionem contrarii, ergo in forma remississima est maxima

¹ Averr., *In VI Phys.*, comm. 32.

² Arist., *Phys.*, VI, 6, 237b4 segg.

admixtio contrarii; ergo in frigido remississimo est maxima admixtio calidi. Ponamus quod fiat transmutatio a frigido remississimo ad calidum intensissimum, et sit a primum instans transmutationis a frigido remississimo ad calidum; et sit b instans primum in quo est sub summo calido; quero tunc
5 in tempore medio inter a et b aut est sub frigiditate aut sub caliditate summa aut sub caliditate remissa. Non est dare primum, quia si post a manet frigiditas, cum calidum approximatum frigido continue remittat frigidum, sequitur quod est dare remissius remississimo. Si vero detur quod in illo tempore medio sit sub calore maximo, tunc ante b est sub calore maximo,
10 cuius oppositum supponitur. Si vero detur quod in illo tempore medio est sub calido remisso, cum calidum remissum non remittatur nisi per admixtionem frigidi, sequitur quod post a erit sub frigiditate; et certum est quod sub remissiori frigiditate quam prius, quia calidum continue remittit frigidum; et ita erit dare remissioem frigiditatem remississima frigiditate;
15 quod est impossibile.

Secundo, probatur eadem conclusio sic: quero aut inter remississimum frigidum et calidum summum est aliquod medium vel nullum; si nullum sit medium, tunc erit motus in instanti a frigido remississimo ad summum calidum; si detur quod sit medium, cum sit propinquius calido summo quam
20 est frigidum remississimum, habebit minus de frigiditate; et sic erit dare remissioem frigiditatem frigiditate remississima; quod est impossibile.

Istis rationibus respondendo dicit sic: «dico hic quod in tempore medio erit sub frigiditate remissa». Et cum dicitur quod calidum remississimum non remittitur nisi per admixtionem frigidi, concedo ubi sit remissum per motum
25 continuum; et tu dicis quod in tali mixtione erit minus de frigido quam in minimo frigido. Hic manifeste patet quod secundum distinctionem alias de frigido et calido isti socio in scriptis tradita, secundum quam opinionem est

hic equivocatio de frigido: minimum enim frigidum quod accipitur primo, a quo incipit mutatio, est in specie frigidi, istud autem quod miscetur cum calido non est in specie frigidi sed magis est dispositio ad frigidum. Et ita manifeste committit hic fallacia equivocationis et per idem et eodem modo ad
5 secundam probationem, quia eodem modo concludit. Contra: illa dispositio ad frigidum que miscetur cum calido in illo tempore medio est in aliqua specie; et illa dispositio suscipit magis et minus, quia aliquid magis disponitur ad frigidum et aliquid minus. Illius ergo speciei in qua est illa dispositio est accipere frigidum remississimum; sit igitur subiectum aliquod
10 sub minima dispositione ad frigidum et transmutetur ad summum calidum; in a ergo instanti est sub minima dispositione ad frigidum, et in b est sub summo calido. Quero tunc in tempore medio aut est sub calido summo, quod non contingit; aut sub calido remisso; et cum non remittatur nisi per admixtionem dispositionis ad frigidum, et illa dispositio continue remittatur
15 per calidum agens, sequitur quod erit dare dispositionem remissioem remississima; quod est impossibile. Unde ille due rationes stant omnino intacte arguendo de illa dispositione, nec erit fallacia equivocationis nec amphibolie.

Quinta conclusio mea fuit ista: quod frigidum agat in calidum sibi
20 approximatum et tamen quod calidum non agat in frigidum claudit contradictionem. Probatur sic: omne passum communicans in materia cum agente reagit in ipsum per Philosophum primo *De generatione*¹; calidum et frigidum communicant in materia. Respondet sic dicens: dico ad istam propositionem quod vera est de passo patiente in tempore. Contra: per te
25 frigidum agit in calidum in instanti; ergo in illo instanti calidum patitur a frigido; aut ergo post illud instans calidum habebit esse aut non. Si dicas

¹ Arist., *De gen.*, I, 7, 324b9-10 ; A.A., 168, n. 12.

quod post illud instans in quo passio facta a frigido recipitur in calido manebit calidum, sequitur quod calidum in tempore patitur a frigido, quia in tempore calidum est approximatum frigido. Si dicas quod post illud instans calidum non habebit esse, tunc passio a frigido seu mutatio facta a frigido in
5 calidum terminatur ad non esse calidi; sed talis mutatio eius instantanea simul est cum termino mutationis; ergo in illo instanti calidum non est; et per te in illo instanti calidum est; ergo simul est et non est.

Aliam rationem feci ad eandem conclusionem ad quam nullum verbum dicit, sed dicit quod solutio illius rationis habetur in quaterno, et salva
10 reverentia sua non est in aliquo quaterno qui ad me venit.

Ad sextam conclusionem et septimam dicit quod forma suscipit magis per additionem partis eiusdem nature et suscipit minus per additionem contrarii, et hoc si suscipiat magis et minus per motum et habeat contrarium; unde talis forma recipiens minus per motum successivum numquam suscipit
15 minus nisi ratione contrarii resistentis. Per hoc dicit ad sextam conclusionem que fuit ista: formam habere in se latitudinem et tamen non suscipere magis et minus nisi per admixtionem contrarii claudit contradictionem. Istam conclusionem demonstravi dupliciter. Primo sic: illud quod solum suscipit magis et minus per admixtionem alterius nature non habet in natura sua
20 magis et minus; quod enim habet contrarium solum ex natura extrinseca non habet illud ex natura intrinseca; ergo dicere quod forma in natura sua habet latitudinem et magis et minus, et dicere quod solum habet hoc ex admixtione contrarii, est dicere quod habet latitudinem in natura propria et quod nullam habet latitudinem in natura propria.

25 Secundo, probata fuit conclusio sic: in minus albo per te est nigredo, separet Deus illam nigredinem ab albedine nihil addendo nec removendo de natura albedinis, et quero tunc an illa albedo sit albedo in summo vel albedo

remissa. Si in summo, tunc quelibet albedo in natura sua est albedo in summo; et per consequens albedo in natura sua non suscipit magis et minus. Si dicis quod albedo que remanet nigredine separata sit albedo remissa, sequitur quod albedo est remissa et non per admixtionem contrarii.

5 Ad istas rationes nullum verbum respondet nec ad materiam nec ad formam nisi narrando ea que prius dixerat.

Septima conclusio fuit: quod forma alicuius speciei admisceatur cum aliqua dispositione ad formam contrariam, et tamen quod forma in summo non admisceatur cum eadem dispositione claudit contradictionem. Probatur
10 sic: si frigiditas admisceatur cum dispositione ad caliditatem, aut ergo frigiditas pura admiscetur cum illa dispositione, aut frigiditas mixta. Si frigiditas mixta, capio illud quod est ibi frigiditatis tantum et quero ut prius: aut est frigiditas pura aut mixta; et cum non sit procedere in infinitum, tandem erit devenire ad frigiditatem puram; sed frigiditas pura est frigiditas
15 in summo.

Huic respondet quod illa frigiditas est pura, nec ex hoc sequitur quod est frigiditas in summo, quia sibi deficit aliqua pars frigiditatis; et ideo est frigiditas remissa, et potest augeri per aliam partem frigiditatis. Et hec est responsio sua, per quam credit evadere conclusiones sextam et septimam,
20 scilicet quod forma intenditur per additionem partis eiusdem rationis.

Sed contra istam responsionem, per quam credit sic evadere, arguo per
6 rationes. Primo sic: per cuius additionem fit augmentatio vel intensio, per eius amotionem fit diminutio seu remissio; ergo si forma intendatur per additionem partis, sequitur quod forma remittatur per solam ablationem
25 partis; et sic remittens frigidum nihil novum causaret in eo quod esset terminus per se illius remissionis; quod est impossibile, quia omnis motus est

a subiecto in subiectum; sequeretur etiam quod aliquid moveretur ad illud quod habet.

Sed forte diceret aliquis quod motus remissionis terminatur ad dispositionem ad formam contrariam; contra: dispositio ad formam contrariam continue intenditur; ergo si motus remissionis esset ad dispositionem ad formam contrariam, sequeretur quod terminus motus diminutionis continue intenderetur et augetur; sed motus cuius terminus intenditur est motus intensionis; ergo motus intensionis esset motus remissionis; quod est impossibile.

Item, si illa dispositio ad contrarium intenditur, quero aut in adventu dispositionis posterioris maneat dispositio prior vel non. Si detur quod sic, sequitur quod termini motus erunt simul in eodem, et ita contraria simul; si detur quod non, sequitur quod illa dispositio non augetur per additionem partis ad partem; et sic forma non augetur per talem additionem.

Item, argumentum est nullum arguendo de remissione illius dispositionis, quia quero ad quid terminatur; non potest poni quod ad aliquam dispositionem, quia sic dispositionis esset dispositio in infinitum, et sic illa remissio non terminaretur ad aliquod positivum.

Secundo, arguo sic: secundum istam opinionem nulla forma intenderetur, quia non forma prior, quia illa non fit maior per hoc quod aliquid sibi addatur; nec forma posterior, quia auctum debet manere sub utroque termino augmentationis, nec aggregatum ex hiis propter idem, quia illud aggregatum non manet.

Tertio, arguo ad idem sic: in quolibet instanti temporis mensurantis motum acquiritur aliqua forma; si ergo prior forma non corrumpatur, sequitur quod infinite forme eiusdem speciei erunt adequate in eodem subiecto simul, ut infinite albedines. Dicitur quod hoc non est inconveniens,

quia nate sunt facere unum per se. Contra: numerus propriorum sensibilium presens sensui bene disposito potest percipi a sensu; ergo visus perciperet multas albedines in eodem subiecto adequate; quod non est verum.

Item, omnes ille forme possunt esse eque perfecte, et per consequens
5 tota albedo esset infinite perfectionis cum includat infinita distincta equalis perfectionis.

Quarto, probo idem sic: sequitur secundum istud quod non erit status in formis, quia quacumque albedine data contingit sibi addere aliam albedinem.

10 Quinto sic: motus naturalis intenditur in fine per Philosophum¹, sive velocitas motus intenditur; et tamen non intenditur per additionem partis ad partem, quia prima pars motus vel velocitatis non manet in adventu posterioris, hoc enim esset contra rationem successivi.

Sexto sic: accipiamus unum pugillum terre pure, in isto pugillo est
15 gravitas summa nullo modo mixta cum contrario vel dispositione ad contrarium, et addatur sibi alius pugillus; certum est quod gravitas non intenditur, quia gravitas summa non potest intendi; et tamen ibi est additio gravitatis ad gravitatem; ergo forma non intenditur per talem additionem.

Octava conclusio quam probavi fuit ista: quod non fit transitus ab
20 albedine ad nigredinem in tempore imperceptibili per omnes colores medios. Probatur, quia visus immutatur in instanti; ergo, si esset talis transitus per omnes colores medios, visus insistens et approximatus approximatione debita videret omnes illos colores quantumcumque tempus sit breve in quo fit huiusmodi transitus; et ita si cum capilli canescerent foret transitus per
25 omnes colores medios, sequeretur quod capilli aliquando essent virides, aliquando rubei et flavi, et visus hoc perciperet.

¹ Arist., *De coelo*, I, 8, 277a28-30.

Dicit iste socius concedendo quod capilli cum canescunt transeunt per omnes colores medios; sed tamen visus non percipit huiusmodi colores propter defectum notabilis quantitatis capillorum quantum ad latitudinem. Sed hec responsio non valet, quia impossibile est visum videre sensibile per accidens, nisi tunc videat sensibile proprium; sed capilli sunt per accidens visibilia sicut Dyarii filius¹; et visus insistens et continue inspiciens caput videt et percipit capillos; ergo videt colorem capillorum. Nec obstat defectus latitudinis capillorum, quia, quamvis quilibet capillus habeat modicum de latitudine, tamen totum aggregatum habet sufficientem latitudinem ad hoc quod immutet visum. Exemplum patet, quia in cumulo cinerum vel pulveris quelibet pars secundum se est insensibilis, et tamen totum aggregatum est satis sensibile.

15 **⟨Rationes nove ad conclusionem principalem⟩**

Adhuc adduco rationes novas ad conclusionem principalem, scilicet quod contraria sunt eiusdem speciei specialissime. Et arguo triplici ratione. Primo sic: contingit dare inter contraria immediata aliquam formam mediam eque distantem a summo gradu utriusque, verbi gratia contingit dare aliquam qualitatem mediam inter summam gravitatem et summan levitatem equedistantem ab utraque; illa qualitas media est in aliqua specie, et non in specie alia ab extremis, quia sic contraria data non essent immediata; ergo illa qualitas media erit in specie cum altero extremorum, et qua ratione cum uno eadem ratione cum altero, cum eque distet formaliter ab utroque; ergo utrumque extremum erit in eadem specie cum illa forma media; et per

¹ Cf Arist., *De anima*, II, 6, 418a21.

consequens sunt eiusdem speciei inter se. Assumptum probatur tripliciter, scilicet quod contingit dare talem formam mediam equedistantem. Primo sic: possibile est aliquod mobile transmutari a gravitate ad levitatem, ita quod illud mobile sit magis grave quam leve, et postea magis leve quam grave.

5 Suppono ergo quod a sit totum tempus in quo mobile est magis grave quam leve, et sit b totum tempus in quo est magis leve quam grave, et sit c instans medium copulans a et b ad invicem; tunc quero aut illud mobile est in c equaliter grave et leve, et tunc habetur propositum; aut in c est magis grave quam leve; sed hoc non contingit, quia illa maior gravitas quam levitas non

10 potest perdi in instanti cum sit divisibilis; ergo post c gravitas excederet levitatem quamvis minus quam prius; et per consequens illud mobile in b esset magis grave quam leve, cuius oppositum est suppositum. Aut est in c magis leve quam grave; sed hoc non contingit, quia illa maior levitas non fuit acquisita in instanti sed in tempore; ergo si in c sit magis leve quam grave,

15 sequitur quod ante c fuit magis leve quam grave; nam antequam levitas excedebat gravitatem in tanto in quanto excederet in c, excedebat in medietate tanti; et ita in a fuit illud mobile magis leve quam grave; quod est contra suppositum, quia suppositum est quod in toto a sit magis grave quam leve. Ergo relinquitur quod in c est equaliter grave et leve, quod est

20 propositum. Et intelligo quod illud quod est magis grave quam leve habeat unam qualitatem simplicem a qua dicitur magis grave quam leve, sicut aer dicitur magis gravis quam levis vel e converso ab una qualitate simplici, non quod ibi sint due qualitates contrarie.

Secundo, probatur idem suppositum sic: moveatur aliquod mobile

25 motu regulari a summa gravitate ad summam levitatem, et signetur instans in medio temporis mensurantis illum motum, et sit c. In c instanti forma sub qua est mobile equaliter distat ab utroque termino motus, quia ex quo motus

est regularis quantum mobile acquisivit per primam medietatem motus de termino ad quem, tantum et non plus perdidit de termino a quo; in medio ergo motus vel temporis mensurantis motum perdidit medietatem termini a quo et acquisivit medietatem termini ad quem; et per consequens participat
5 equaliter utrumque terminorum.

Tertio, probatur idem suppositum sic: manifestum est quod aliquod corpus est magis grave quam leve, ut patet de aere et aqua; sed Deus potest auferre illud quod est plus de gravitate precise conservando totum residuum; sed si ab aliquo auferatur illud in quo maius excedit minus, illa que remanent
10 erunt equalia; ergo si illud in quo gravitas excedit levitatem auferatur precise, sequitur quod illud corpus quod ante ablationem fuit magis grave quam leve sit post ablationem equaliter leve et grave; quod est propositum.

Dicetur huic rationi quod non est dare unam formam que sit in una specie equedistantem a summis contrariorum immediatorum, tamen est dare
15 unum aggregatum ex contrariis equedistans ab utroque extremorum contrariorum, et illud non est in una specie, sed una pars in una specie et alia pars in alia; verbi gratia est dare aggregatum ex gravitate et levitate habens equaliter de gravitate et levitate. Contra: quero de partibus illius aggregati: aut sunt pure non composite ex contrariis, aut sunt composite. Si sunt
20 simplices et pure, tunc sunt in summa perfectione earum; et sic contraria in summo essent simul in eodem; quod est inconveniens. Si autem sint composite ex extremis: aut ergo equaliter, et tunc haberetur propositum quod forma una existens una equaliter distet a summis contrariorum; quod autem ille partes date non sunt composite inequaliter ex extremis probant rationes
25 facte.

Item, quantum una pars illius aggregati distat a quocumque extremo distantia formali, tantum altera pars distat ab eodem distantia formali. Nam

in omni operatione in quam potest una pars et alia potest in eandem, aliter corpus habens illam formam mediam aggregatam simul ageret in idem passum contrarias actiones; ergo ex quo ille partes uniformiter se habent quantum ad distantiam formalem ad extrema, sequitur quod utraque illarum partium erit in eadem specie, et per consequens ille partes, cum sint in speciebus extremorum, sequitur quod extrema sint in eadem specie.

Item, ista responsio concedit quod ponendo formam suscipientem magis et minus esse omnino simplicem non mixtam ex contrariis, ut ponit maior pars philosophantium, quod contraria sunt eiusdem speciei specialissime. Et hoc supposito ratio hoc demonstrat.

Quod autem sit talis forma media probatur per auctores. Nam Galienus tertio *Simplicium medicinarum* capitulo quinto, Averroes quinto *Colliget* capitulo secundo; Haly super secundum *Tegni*¹ canon 24 ponunt quod corpus temperatum est canon et regula omnium corporum; sed corpus temperatum habet complexionem mediam eque distantem ab extremis contrariorum; ergo etc. Contra: Commentator dicit contra Galienum primo *De celo et mundo*, secundo *De generatione*, decimo *Metaphysice*² quod non est talis qualitas media. Dico quod non intelligit quod non est aliqua talis qualitas naturalis alicui corpori non passo existenti in sua dispositione naturali; quin tamen per actionem agentis seu transmutantis possit esse talis qualitas media non dicit; et si dicet, falsum dicet. Tu dices: si talis qualitas insit alicui preter naturam, sequitur quod inest alicui alteri secundum naturam; ergo erit alicui naturalis. Dico quod non sequitur quod insit alicui secundum naturam, ut patet de calore inherente aque calefacte: calor in tali gradu nulli corpori est naturalis. Dico tamen quod omnis forma que inest alicui preter naturam per agens

¹ Galenus, *De simplicium medicamentorum facultatibus*, III, 5; Averr., *Colliget*, V, 24; Galenus, *Liber Tegni cum commento Haly*, II, 20.

² Averr., *In I De celo*, comm. 7; *In II De gen.*, comm. 48; *In X Metaph.*, comm. 23.

naturale eadem secundum speciem, quamvis non in eodem gradu, inest alicui secundum naturam.

5 Secunda ratio principalis est talis: accipiamus contraria immediata suscipientia magis et minus et habentia latitudines, verbi gratia ponamus
10 quod calidum et frigidum sint contraria immediata; tunc accipio quod tota latitudo caloris est finita versus frigidum sive versus defectum; similiter tota latitudo frigidi est finita versus calidum et versus defectum. Tunc quero aut tota latitudo frigidi et tota latitudo calidi sunt terminata eodem termino versus illam partem qua sunt immediata, vel alio termino et alio. Si habeant
15 eundem terminum communem, erunt eiusdem speciei; nam diversa specie non continuantur secundum formam; et etiam ille terminus esset in una specie, et qua ratione esset in specie unius, eadem ratione esset in specie alterius. Si autem illarum latitudinum sint diversi termini, illi termini erunt simul; nam indivisibilia inter que non est medium sunt simul eo modo quo
20 sunt immediata. Tunc arguo sic: quecumque sunt simul simultate opposita distantie formali, quantum unum distat ab aliquo distantia formali, tantum reliquum distat ab eodem distantia formali; ergo ultimum calidi tantum distat a summo calido quantum ultimum frigidi distat a summo calido; si ergo ultimum calidi sit in eadem specie cum summo calido, sequitur quod
25 ultimum frigidi erit in eadem specie cum summo calido; quod est propositum. Si dicatur quod ultimum calidi vel frigidi non est indivisibile; contra: omnis terminus ultimus ex ea parte qua terminat est indivisibile, quia si esset divisibile, haberet terminum ulteriorem, et non esset secundum se totum terminus sed ratione alterius, quod est contra rationem ultimi.

25 Secundo arguitur ex eadem, scilicet ex parte latitudinis formarum, sic: contingit accipere aliquas formas infra latitudines contrariorum ita propinquas terminis latitudinum quod minus distant distantia formali quam

alique due forme in eadem latitudine. Quod manifestatur: nam citius et
facilius fit transitus a forma unius latitudinis iuxta terminum ad formam infra
latitudinem aliam iuxta terminum quam inter formas multum distantes in
eadem latitudine. Si ergo omnes forme que sunt in eadem latitudine sint
5 eiusdem speciei, sequitur quod forme in diversis latitudinibus que sunt
propinquoeres formaliter erunt in eadem specie; quod est propositum.

Tertio, ex eadem via sic: tota latitudo caloris est propinquior toti
latitudini frigoris propinquitate formali quam calor intensus calori remisso,
quia tota latitudo caloris est immediata toti latitudini frigoris et calor intensus
10 non est immediatus calori remisso; cum ergo calor intensus et calor remissus
sunt eiusdem speciei, sequitur quod tota latitudo caloris et tota latitudo
frigoris erunt eiusdem speciei.

Secunda via probandi propositum accipitur ex parte contrariorum
mediatorum; et arguo sic: quecumque sunt eiusdem speciei cum tertio, sunt
15 eiusdem speciei inter se; sed contraria extrema sunt eiusdem speciei cum
forma media; ergo etc. Minor probatur, quia si forma media, puta tepidum,
differret specie ab extremis, cum tepidum suscipiat magis et minus, oporteret
quod tepidum haberet aliquem terminum intrinsecum qui esset eius
mensura, per accessum ad quem diceretur aliquod magis tepidum, et per
20 recessum a quo minus tepidum; sed talem terminum vel gradum non
contingit dare, quia ille gradus perfectissimus forme medie esset vel
propinquissimus gradus alicui extremorum vel consisteret in medio rei inter
extrema, vel saltem esset infra latitudinem forme medie et non extremum
eius. Non est dare primum propter tria: primo, quia cum forma aliqua est in
25 gradu perfectissimo non corrumpitur in instanti, nam facilius quam cum est
in gradu imperfecto; sed cum forma media est in gradu immediato et
propinquissimo alicui extremorum approximato contrario agente

corrumpitur in instanti et facillime, quia subito ab agente quantumcumque debili. Secundo, quia, cum est in gradu perfectissimo alterius extremorum, est propinquissima suo non esse, et non est in gradu perfectissimo quando est propinquissima suo non esse. Tertio, quia forma non intenditur cum continue
5 tendit ad non esse; sed forma tendendo ad gradum propinquissimum alteri extremorum continue tendit ad non esse, quia ad suum impossibile seu contrarium; ergo etc. Si ergo forma media suscipiens magis et minus esset distincta specificè ab extremis, oporteret quod haberet summum gradum infra latitudinem forme, qui gradus non esset extremum latitudinis, sed vel
10 consisteret in medio rei, vel saltem quod non esset extremum; sed hoc non potest dari. Quod probo tripliciter: primo, quia ponamus quod sint duo tepida sub perfectissimo gradu tepiditatis, et uni approximetur calidum transmutans ipsum versus calorem, et alteri approximetur frigidum transmutans ipsum versus frigiditatem, et sint agentia equalis virtutis, ita
15 quod quantum unum potest calefacere, quod aliud tantum potest frigefacere; tunc certum est quod utrumque transmutans remittit tepiditatem, quia facit eam recedere a summo gradu et utrumque equaliter remittit, ex quo utrumque facit equaliter recedere. Tunc arguo sic: quando aliqua sunt equaliter tepida, si equaliter remittantur, erunt equaliter tepida; si illa ergo
20 transmutentur in eodem tempore, in fine illius temporis erunt equaliter tepida, et sic duo quorum unum multum accedit ad frigidum et aliud multum accedit ad calidum, erunt equaliter tepida; sed hoc non est verum, quia non possunt equaliter in operationem tepidi, quia non possunt in consimilem operationem. Similiter fiunt continue magis et magis dissimilia,
25 et per consequens non remanent equaliter tepida.

Secundo, quia si sic, motus intensionis et remissionis eiusdem forme essent continuati non solum continuitate temporis, sed etiam continuitate

forme, quod nullus concederet. Probatio quod hoc sequatur: quia possibile est quod aliquod moveatur continue ab uno extremo tepiditatis ad aliud extremum, ut a calido ad frigidum per tepidum medium vel e converso; iste motus esset continuus secundum tempus et secundum formam, eo quod
5 forma secundum quam est una secundum speciem, sed una pars istius motus esset motus intensionis, ut illa pars que est versus gradum perfectissimum, et alia pars motus, que est ab illo gradu, esset motus remissionis, et iste partes motus sunt adinvicem continuate; ergo etc.

Tertio, quia cum forma remittitur, non fit perfectior quam prius; sed
10 forma per recessum ab illo gradu versus contrarium perfectius fit perfectior quam prius; et tamen, si esset talis gradus summus in infinitum infra latitudinem forme, per recessum ab illo gradu versus quodcumque extremum remitteretur.

15

⟨Resumptio rationum alias contra Burleum factarum⟩

Rationes alias factas contra me et solutas resumit et dicit quod vult loqui de eo quod album remissum denominat, ut de hoc minus albo, et sit a; et queritur: aut habet aliquid de albedine aut nihil. Dico quod habet aliquid
20 de albedine. Et tunc querit aut a addit aliquam realitatem ultra istam albedinem aut solam privationem. Dico quod a nihil addit ultra istam albedinem, quia a non est nisi hec albedo; et hec albedo nihil addit ultra se ipsam. Unde hec ratio, si ratio debeat dici, nullius momenti est. Si vero tu
25 queras quid a addit ultra aliam albedinem ab a, puta ultra albedinem intensam, hec questio est fatua; nam unum individuum alicuius speciei nihil addit super individuum aliud eiusdem speciei; omne enim quod aliquid

addit super aliud includit illud et aliquid aliud, scilicet additum; sed unum individuum non includit aliud.

Item, arguit quod due albedines non habent nomen commune eis, quia quero qua communitate esset commune: non nisi communitate speciei
5 specialissime. Dico quod due albedines habent hoc nomen commune eis 'albedo', quod quidem nomen non est nomen speciei, sed est nomen sicut hoc nomen 'vir' est commune duobus viris; et certum est quod hoc nomen 'vir' non est nomen speciei, sed est terminum in modo vel quasi terminum in modo.

10 Item, arguit quod totaliter simile secundum speciem corrumpet simile sibi omnino, quia frigidum corrumpit calidum; et in frigido nihil positivum est nisi de specie calidi, nec addit supra calidum nisi privationem; ergo vel omnino simile corrumpit suum simile, vel privatio erit principium corruptionis. Dico quod frigidum est de specie calidi, igitur frigidissimum est
15 de specie calidi, nec includit aliquid nisi de specie calidi; tamen frigidissimum et calidissimum non sunt omnino similia quantum ad positivum in eis, immo multum dissimilia. Nec dico quod frigidum includit intrinsece privationem calidi magis quam e converso, sed est quiddam omnino positivum imperfectius cum alio positivo eiusdem speciei, tamen
20 privationem perfectionis, que est in alio intrinsece, non includit.

Aliam rationem quam fecit dicit non esse solutam, que fuit: si passio univoca, subiectum univocum et si passio equivoca, subiectum equivocum etc. Ad quam rationem dixi quod caliditas in summo non est propria passio ignis nec frigiditas in summo propria passio aque, loquendo de proprio quod
25 convenit omni et soli et semper, quia manifestum est quod aqua potest esse etsi non sit frigida in summo, et ignis etiam potest esse etsi non sit calidus in summo. Modo dictum Aristotelis «si passio univoca etc.» intelligitur de

propria passione que convenit omni et soli et semper. Sed dicit adversarius quod istud est planum contra Philosophum secundo *Metaphysice*¹, qui dicit quod «unumquodque tunc aliorum», secundum quod aliis inest univoce, ut ignis, est calidissimus; causa namque aliis hic est calor. Et etiam
5 Commentator vult idem expresse super tertium *De celo et mundo*². Dico ad Philosophum quod ipse verum dicit, quod ignis est calidissimus; non tamen dicit quod ignis semper est calidissimus nec quod omnis ignis est calidissimus. Ad Commentatorem dico quod ipse erravit pessime in mixtione tam substantiarum quam accidentium, unde ipse posuit quod aqua
10 pura non potest calefieri etc., ut patet ex secundo *De anima*³. Unde voluit dicere quod quantum aqua acquirit de caliditate, tantum acquirit de substantia ignis, ita quod in aqua calida est mixtio formarum aque ut ignis, et in igne passo a frigido est mixtio formarum substantialium ignis et aque et terre. Et ista opinio est multum erronea, ut declaravi in secundo libro
15 *Sententiarum* circa cuius declarationem propter brevitatem non insisto.

Respondeo ad istum argumentum de ydentitate specifica contrariorum, et dico propter rationes prefatas quod contraria que nata sunt fieri circa idem subiectum numero ens in actu sunt eiusdem speciei specialissime, ut calor et frigus, albedo et nigredo, et sic de aliis; unde lumen est una species
20 specialissima in qua contingit reperire aliqua tantum distantia quantum distant albedo et nigredo. Verbi gratia lumen intensum et lumen umbrosum tantum distant et sunt dissimilia quantum albedo et nigredo; et ideo non videtur magis inconueniens ponere quod albedo et nigredo sunt eiusdem speciei quam ponere quod lumen umbrosum et lumen splendidissimum sunt
25 eiusdem speciei. Modus autem ponendi talis est: dico quod quelibet species

¹ Arist., *Metaph.*, II, 1, 993b23-27.

² Averr., *In III De coelo*, comm. 67.

³ Averr., *In II De anima*, comm. 115.

continens contraria habet latitudinem graduum, et illa latitudo est terminata ex utraque parte, scilicet ex parte perfectiori et ex parte imperfectiori; et unumquodque contrariorum dicitur dupliciter, scilicet simpliciter et absolute et in respectu seu quodam modo; et unum contrarium absolute acceptum est
5 unum extremum illius latitudinis, et reliquum contrariorum absolute dictum est alterum extremum; inter ista vero extrema est unum medium equedistans formaliter ab utroque extremorum. Quod quidem medium non debet denominari ab aliquo extremorum, sed vocabitur medium rei distantie formalis, hoc est medium equaliter distans ab utroque terminorum speciei in
10 qua sunt contraria. Omnia vero media que sunt inter unum extremorum et illud medium rei nominatur nomine illius extremi respective, non simpliciter et absolute; et omnia media que sunt inter reliquum extremum et illud medium rei nominantur nomine illius extremi, non simpliciter sed in respectu. Verbi gratia dico quod color est una species specialissima habens
15 latitudinem, cuius terminus perfectissimus est albedo simpliciter et absolute dicta, terminus vero imperfectissimus est nigredo absolute dicta. Inter ista extrema est una forma media vel gradus medius equaliter distans ab utroque extremorum, sicut probatum est supra; et vocetur illud medium eque distans a, tunc quodlibet medium inter a et albedinem absolutam est albedo in
20 respectu, et quodlibet medium inter a et nigredinem absolutam est nigredo in respectu. Et quia attingere vel cognoscere medium est difficile, ut dicit Aristoteles secundo *Ethicorum*¹, nec scimus semper quando aliquid est ex una parte medii distantie formalis nec quando ex alia, ideo quandoque illud quod est calidum vocamus frigidum, et quandoque e converso. Et hec videtur esse
25 intentio Commentatoris quarto *Metheorum*² versus principium, qui dicit quod

¹ Arist., *Eth.*, II, 9, 1109a24-25.

² Averr., *In IV Meteor.*, comm. 6.

omnes res humide inspissantur per calorem preter aquam solum, et illud est quia calor in ea est purum, et humiditas multa; hoc Commentator. Et certum est quod in aqua pura non est calor distinctus specie a frigore; ergo etc. Hec etiam est intentio Aristotelis in quarto *Celi et mundi*¹, ubi dicit quod ignis est simpliciter levis et terra simpliciter gravis, elementa vero media sunt gravia in respectu et levia in respectu. Hec etiam videtur intentio Aristotelis decimo *Metaphysice* et primo *Physicorum*², ubi vult quod inter duo contraria est una contrarietas secundum speciem et una et eadem distantia formalis; eadem ergo secundum speciem est contrarietas que est inter albedinem et nigredinem et contrarietas que est inter nigredinem et albedinem; sed contrarietatum earundem secundum speciem sunt eadem extrema secundum speciem; ergo albedo et nigredo sunt eiusdem speciei.

Si dicis quod Aristoteles decimo *Metaphysice*³ dicit quod contraria differunt specie, dico quod Aristoteles ibi loquitur de contrariis dividendis genus ex opposito, cuiusmodi sunt differentie contrarie; et ille differentie non habent fieri circa idem subiectum in actu, quia, cum differentie dividentes genus sunt nobis ignote, ideo exemplificat in contrariis sensibilibus que sunt magis nota, cuiusmodi sunt calidum et frigidum, album et nigrum, que secundum famositatem differunt specie, non secundum veritatem. Unde exempla ponimus non ut ita sit etc. Hec etiam videtur intentio auctoris *Sex principiorum*⁴, ubi vult quod causa susceptionis magis et minus est accessus ad illud cui est nominis impositio et recessus ab eodem, unde dicit quod albedo imponitur albedini in summo et pure albedini; similiter nigredo pure nigredini et per accessum ad illud cui nomen imponitur, dicitur aliquid

¹ Arist., *De coelo*, IV, 1, 300a3-5; A.A., 166, n. 88.

² Arist., *Metaph.*, X, 7, 1057b1 segg.; *Phys.*, I, 6, 189b20-22.

³ Arist., *Metaph.*, X, 4, 1055a4-10; A.A., 135, n. 243; 7, 1057b1 segg.

⁴ *Liber sex principiorum*, 8.

magis tale. Hec etiam est intentio Avicenne secundo sue *Physice*¹ capitulo secundo, ubi dicit quod homines omnes terminos qui sunt similes nigredini vocant nigredinem et omnes qui sunt similes termino albedinis, scilicet qui sunt propinquiore*s* ei, vocant albedinem; sed nigredo absoluta vel simplex est
5 una, et etiam est extremitas vera; et albedo similiter. Ista*s* omnes auctoritates adduco ad probandum quod contraria sunt termini unius latitudinis, et illi termini sunt qualitates simplices et absolute. Media vero nominantur nominibus extremorum in respectu, et dicuntur magis et minus talia per accessum ad extrema et recessum ab eisdem.

10 Sed super hiis sunt dubitationes non pauce. Prima est, quia tu ponis in eadem specie duo summa et perfectissima, ut summam albedinem et summam nigredinem.

Secunda, dubitatio quia ex quo ponis in eadem specie duo intensissima, eadem ratione debes ponere in eadem specie duo remississima, ut albedinem
15 remississimam et nigredinem remississimam, et sic redit difficultas contra te, qualiter potest esse mutatio ab uno in aliud.

Item, est alia dubitatio, quia secundum dicta tua non erunt aliqua contraria mediata, quia inter nulla contraria est species media.

Item, arguunt alii sic: per te contraria magis distant quam
20 contradictoria; ergo, si contraria sint in eadem specie, contradictoria erunt in eadem specie; et sic omnia erunt in eadem specie.

Item, arguitur sic: forme reddentes sua subiecta dissimilia differunt specie, quod patet, quia similitudo est unitas fundata super speciem; contraria reddunt sua subiecta dissimilia; ergo etc.

25 Item, quod color non sit species specialissima probatur, quia secundum speciem fit comparatio non secundum genus, ut patet ex septimo

¹ Avicenna, *Suff.*, II, cap. II (AVICENNA 1508, c. 24vb).

*Physicorum*¹; sed secundum colorem non fit comparatio, sed secundum albedinem et nigredinem fiunt comparationes; ergo etc.

Item, arguunt alii sic: inter individua eiusdem speciei non est ordo essentialis; sed inter albedinem et nigredinem est ordo essentialis, quia
5 albedo est perfectior nigredine, et est eius mensura; ergo etc.

Item, caliditas est magis activa quam frigiditas; ergo non sunt agentia eiusdem rationis; et per consequens non sunt eiusdem speciei specialissime.

Item, calidum agit in calidum ipsum intendendo et in frigidum ipsum remittendo et corrumpendo; quod non esset nisi calidum esset eiusdem
10 rationis cum calido et alterius rationis a frigido.

Ad primum istorum dico quod non sunt duo gradus summi in perfectione, tamen in eadem specie bene sunt duo gradus summi, unus in perfectione et alius in imperfectione. Unde per summum tale non intelligo nisi illud quod est maxime tale; dico ergo quod in specie coloris est dare
15 summam albedinem, que est summus color in perfectione, et summam nigredinem, que est color imperfectissimus et summus in imperfectione.

Ad secundum dico quod non est ponendum quod sit albedo remississima vel nigredo remississima, nisi ponatur quod medium rei distantie formalis sit remississimum utriusque contrariorum, et tunc non
20 esset difficultas, quia non ponuntur duo remississima duorum contrariorum, sed idem remississimum utriusque. Nec forte est inconueniens concedere quod eadem qualitas simplex sit albedo in respectu et nigredo in respectu; vel si ponamus quod medium rei distantie formalis neutrius extremi habet nomen, tunc certum est quod non est dare remississimum calidum, quia illud
25 esset calor proximus illi medio rei; sed hoc non est dare, quia in formis suscipientibus magis et minus non est dare gradum proximum vel

¹ Arist., *Phys.*, VII, 4, 249a4-5; A.A., 155, n. 192.

immediatum gradui, sicut nec est dare instans in tempore immediatum alteri instanti.

Ad tertium dico quod omnia contraria sunt mediata secundum magis et minus, quia inter omnes gradus contrariorum est gradus medius; sed nulla
5 contraria de quibus loquimur sunt mediata secundum speciem vel formam, quia inter nulla huiusmodi contraria est species media. Illa autem distinctio de contrariis, quod quedam sunt mediata quedam immediata, est famosa et non vera.

Ad quartum dico quod contradictoria non sunt in specie; solum enim
10 alterum contradictoriorum est in specie; modo si illa que magis distant sint in eadem specie, et illa que minus distant erunt in eadem specie, et hoc si utrumque sit in specie huiusmodi aut non sunt contradictoria, quare ratio non concludit.

Ad quintum, cum dicitur forme reddentes sua subiecta dissimilia etc.;
15 dico quod non est verum, quia albedo intensior et albedo remissior reddunt sua subiecta dissimilia, et tamen sunt in eadem specie. Et cum dicitur quod similitudo est unitas fundata super speciem; dico quod verum est super eandem speciem non differentem secundum magis et minus. Si autem duo participant eandem speciem secundum magis et minus, non sunt simpliciter
20 similia, sed solum in respectu; verbi gratia sicut similitudo est unitas fundata super eandem qualitatem in specie, ita equalitas est unitas fundata super eandem quantitatem in specie; sed certum est quod non omnia habentia eandem quantitatem in specie sunt equalia, quia sic lignum duorum pedum et lignum unius pedis essent equalia, quod non est verum. Et ita sicut in
25 quantitate oportet quod equalia habeant eandem quantitatem secundum speciem non secundum magis et minus, ita in qualitate; et ideo nulla sunt

simpliciter similia nisi habeant eandem qualitatem secundum speciem, et hoc in eodem gradu.

Ad sextum dico quod color est species specialissima, quia secundum colorem fiunt comparationes; album enim est coloratius nigro, et unum
5 rubeum est coloratius alio rubeo.

Ad septimum dico quod inter individua eiusdem speciei non est essentialis ordo secundum efficientiam, quia unum potest agere reliquo non agente, tamen inter individua eiusdem speciei est essentialis ordo secundum perfectionem et eminentiam; et hoc est verum de omni specie suscipiente
10 magis et minus, vel ad minus inter gradus eiusdem speciei suscipientis magis et minus est essentialis ordo. Nec hoc negat Aristoteles tertio *Metaphysice*¹, sed solum essentialem ordinem secundum efficientiam.

Ad octavum, quod in eadem specie est aliquid magis activum et aliquid minus; nam calor intensior est magis activus quam calor remissior, et tamen
15 sunt in eadem specie; ideo illa ratio non concludit.

Ad ultimum dico quod calidum intendit minus calidum et remittit magis calidum, et tamen sunt eiusdem speciei; ideo ratio non concludit.

Et in hiis sit finis sermonis nostri de unitate specifica contrariorum. Et si
20 in hiis sit veritas, ut fingo, regratietur altissimo qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si vero non sit veritas in predictis, forte per ea aliquando inveniretur veritas. Si autem aliquid bene dictum sit, acceptetur; de omissis vero indulgeatur; nam non solum hiis dicere gratiam iustum est, quorum aliquis opinionibus communicaverit, sed et hiis qui
25 adhuc superficialiter enunciaverunt²; etenim hii conferunt aliquid, nam

¹ Cf. Arist., *Metaph.*, III, 3, 999a24-25.

² Cf. Arist., *De gen.*, I, 2, 316a8-10; *A.A.*, 167, n. 2.

habitu nostrum preexercitati sunt, ut dicit Aristoteles secundo
*Metaphysice*¹.

5 Explicit tractatus de activitate qualitatuum sensibilium et de idem-
specificis caloris celestis, animalis et elementaris et de inductione subita forme
substantialis et de unitate specificis contrariorum.

¹ Arist., *Metaph.*, II, 1, 993b14; A.A., 118, n. 37.